

## LIBER PRIMUS

## AD CAESAREM

E1\_1 v.1 Dum tibi crescit opus meliori pumice cultum  
 2 quod mea dormitans saepe lucerna videt,  
 3 accipe, quas cubito presso post vina rosasque  
 4 concinuit nugas Musa jocosa mihi.  
 5 Quas releges primis mensis aliisque remotis,  
 6 coeperit ut pretium risus habere suum.  
 7 Tunc licet a curis animum revocare severis  
 8 horaque tam gracili convenit illa lyrae.  
 9 Quodsi grata mei praecox erit uva racemi,  
 10 exspectes pleno postmodo musta lacu.

## AD CAESAREM

E1\_2 v.1 Quid Tibi commendem, quos portat Platina versus ?  
 2 Ille erit exiguae sal pretiumque lyrae.  
 3 Grandibus interdum tenuissima munera praestant,  
 4 reddita si fuerint nobiliore manu.  
 5 Et mea reddentis capient a pondere pondus,  
 6 vel Siculis gerris sint leviora licet.

## AD LECTOREM

E1\_3 v.1 Quamvis Cecropio careant mea verba lepore,  
 2 nec sint Romana Pallade digna satis  
 3 canteturque mihi tenui nunc Caesar avena,  
 4 flere suas nollet qua Meliboeus oves,  
 5 comprime corruptos, Livor, rubigine dentes :  
 6 si volet ille, mea fiet arundo tuba.

## IN VACCAM AENEAM A MYRONE CAELATAM

E1\_4 v.1 Arte sua cernens fabricatam ex aere juvencam,

2           constitit et genitam credidit esse Myron.  
3       Ac ait : "Huic similem vitulam caelasse recordor,  
4           plus habet haec, mugit, nam mea muta fuit."

## IN EANDEM

E1\_5     v.1       Fugerat in sacris subito mactata juvenca.  
2           Me videt et clamat : "Ferte - minister - opem ! "  
3       Inque meum pavidus disponens vincula collum  
4           me ligat et frustra saepe rudente trahit.  
5       Viribus at postquam sensit concedere nullis,  
6           fessus ait : "Fallit lumina nostra Myron."

## IN EANDEM

E1\_6     v.1       Taurus amore furit properatque sub ubera pullus  
2           inque gregem, videat me modo, pastor agit.

## AD FLACCUM

E1\_7     v.1       Curas non bene nocte ruminatas  
2           secretasque Cilix emit lucernas  
3           et quicquid taciti laboris arca  
4           servat Mercurialium virorum  
5           et Phoebi caput implicasse fronde  
6           mercatis putat abditis libellis.  
7           O quid, Flacce, minus laboriosum  
8           quam vates fieri uncia monetae !  
9           Omnes Virgilios Propertiosque  
10          vendas ac oleo tibi que parcas.  
11       Nam solum poterit numisma Flaccum  
12       vatem reddere, si Cilix poeta est.

## IN TURDUM SAETA EQUINA CAPTUM

E1\_8     v.1       Dum vorat argentes hederosa in rupe corymbos  
2           nec dubia laqueos fronde latere timet,  
3       pendula praeda caput saeta religavit equina  
4           et moriens maesto gutture turdus ait :  
5       "Extimui demens operosae fila puellae,  
6           en mihi sed cauda vincula nevit equi."

## AD CAESAREM

E1\_9     v.1       Quod nec ingenii potens acumen  
2           nec multus studii labor frequentis  
3           possent efficere omnibus diebus,  
4           si dices minima locutione  
5           me vatem, subito poeta fiam.  
6       Nam quicquid loqueris, putatur et est  
7       laurus Delphica quercus et Pelasga.

## AD SEXTILIUM

E1\_10 v.1 Est tibi cornicis vestis cariosior alis  
 2 qualibet ac cervi pelle vetusta magis.  
 3 Cujus fila reor Paridis traxisse parentem  
 4 et densata tua, Penelopea, manu.  
 5 Illa potest fures patula contemnere in arca,  
 6 tutior in media nocte jacere via  
 7 et tineae murique cibum blattaeque negare,  
 8 vix involvendis piscibus apta satis.  
 9 Hanc super unda timet piceo descendere nimbo,  
 10 sordida gramineum ne petat inde solum.  
 11 Candidiore loco telas suspendit Arachne  
 12 et nidum cimex exstruit atra sibi.  
 13 Attamen aurifero narraris ditior amne.  
 14 "Non credam, jurent terque quaterque licet."

## AD CAESAREM

E1\_11 v.1 Nil tua carminibus, Caesar, jam gloria crescit  
 2 ulterius nec quo progrediatur habet.  
 3 Quid Jovis immenso fama celebratius orbe ?  
 4 Attamen Aoniae tangitur arte lyrae  
 5 cumque Gigantei memorantur bella triumphi,  
 6 arridet laeto laudibus ore suis.  
 7 Te quoque Callimachi voveat sine syrmate Musa  
 8 et satis in magnis sit voluisse mihi.

## EPITAPHIUM PAULAE RUSTICAE

E1\_12 v.1 Ruricolis melius quae novit Palladis artes  
 2 nec rudis ad Cereris arma movenda manu,  
 3 felicem postquam ditavit prole maritum,  
 4 marmore digna licet, Paula sepulta solo.

## DE LEONE, QUI SE INTERFECIT, NE IN SERVITUTEM VENIRET

E1\_13 v.1 Rex erat in laqueo nemorum, qui ferre capistrum  
 2 turpe putans, fregit nobile dente latus  
 3 et : "Nondum ferulis domini tremefactus in aulas,  
 4 dum licet, hic liber spiritus - inquit - eat."  
 5 Hinc rigidi vulnus sileatur, Flacce, Catonis,  
 6 fugerit hostiles cur leo morte manus.

## AD VIGDAMUM

E1\_14 v.1 Hortorum segetes et Stoica prandia narras  
 2 et Cynici quicquid sordida pera capit  
 3 ac minimo laetam naturam, Vigdame, dicis,  
 4 cui non tacta cibum terra benigna parat

5 nec nisi nativos laudas in vellere fucos  
 6 antraque secura plena quiete refers.  
 7 Et tamen in patera ponunt tibi vina ministri,  
 8 amphora quae cepit regna tenente Numa  
 9 postque nates turdi perdices poscis aprumque  
 10 Illyricisque voras ostrea capta vadis.  
 11 Coccina vim vestis mendacis sumpsit aeni  
  
 12 plumosoque quies est tibi grata toro.  
 13 O, facile est verbis laetum te dicere parvo,  
 14 te foveat pleno cum dea caeca sinu.

## AD CARPHINIAM

E1\_15 v.1 Unius usus erat, sed erant tibi lumina bina,  
 2 nunc ope cum medica lumen utrumque videt.  
 3 Quattuor accepit medicus fecitque videres :  
 4 sic oculus nummis quattuor emptus adest.

## AD COSMUM

E1\_16 v.1 Qui pectit catulos lavatque, Cosme,  
 2 consumit studio dies inani.  
 3 Et qui non meritis poema dictat,  
 4 hic pectit catulos lavatque, Cosme.

## IN PICTURAM SILVIAE

E1\_17 v.1 Quid petis a picta deceptus imagine verba ?  
 2 Non datur artifici fingere vocis iter.  
 3 Interiore deus sed si me parte parasset,  
 4 artis opus posset reddere verba tibi.

## AD COSMICUM

E1\_18 v.1 Quid blattis tineisque muribusque  
 2 arcus et citharas, fides, papyros  
 3 omnes jam dare pabulum moraris ?  
 4 Syllanus Veneta palude, nuper  
 5 ignotus, pueros docebat alpha,  
 6 nunc factus subito poeta versus  
 7 jejunos tibi scriptitat ducentos,  
 8 cenatus totidem, lepore nullo,  
 9 insulse, illepide atque ineleganter.  
 10 Et gemmas tamen et domos et aurum  
 11 et vestes habet et sub urbe villas,  
 12 omnis sed pater eruditionis  
 13 victuras fer<iens> diu papyros (texte numérisé : 'ferabos')  
 14 incassum vigili polit lucerna,  
 15 dum fortes Latii duces beato  
 16 per carmen numero inserit deorum.

## AD PONTILIANUM

E1\_19 v.1 Arguit indocti tonsoris stigmata Maurus  
 2 psilothro et faciem, Pontiliane, pilat.  
 3 Nec satis id : cautis volsellis menta recurrit,  
 4 ne quis inevulsus restet in ore pilus.  
 5 Munditiis tribuant alii licet ista, fatebor,  
 6 nescio quid certe mens mea turpe putat.

## AD FERICILLUM

E1\_20 v.1 Praxitelis docta phialas incude politas  
 2 et quae Phidiacum cymbia finxit opus,  
 3 sed gremio quaecumque fere mihi ponis inani,  
 4 ad cenam quotiens me, Fericille, vocas.  
 5 Nescio convivas dentes an lumina ducant,  
 6 seu tua quid dives pascere mensa velit.  
 7 Ponitur haec oculis cyathis oneranda Myronis :  
 8 non amat esuriens tam pretiosa fames.

## IN PICTURAM ORBIS TERRAE

E1\_21 v.1 Quem vix sub toto potuit distinguere caelo  
 2 Juppiter, haec orbem parva tabella capit.

## AD GLAUCUM

E1\_22 v.1 Qui modo frigidulis tunicis algere solebam,  
 2 miraris, cocco conspiciendus eam.  
 3 Nunc Cardinali grata est mea Musa Ravennae,  
 4 ante sed in triviis fabula nota fui.

## AD PLATINAM

E1\_23 v.1 Quid me potentum spernere limina  
 2 et plebis auras, Platina, non sinis ?  
 3 Quid rursus Ascraeum per antrum  
 4 verba jubes sociare chordis ?  
 5 O, quam paterno rure beatius  
 6 glebas Sabellis vertere sarculis,  
 7 tauros fatigatos in umbra  
 8 seu gelido recreare rivo,  
 9 et rore campos spargere ductili  
 10 natasque lappis et lolio fruges  
 11 purgare molirique fraudes  
 12 alitibus nocuis per agros,  
 13 vultu diurni noscere sideris  
 14 imbres et austros signaque praesciae  
 15 cornicis et mergos notare,  
 16 alcyones, fulicas gruesque,  
 17 seu falce ramos carpere inutiles

18 gemmasque truncis jungere non suis,  
 19 ignota quo miretur arbor  
 20 poma suo genuisse suco.  
 21 His rara centum vina laboribus  
 22 condantur urnis et gravet horreum  
 23 fecunda messis rusticoque  
 24 usque mihi tepeat culina.  
 25 Nam quid favores, quid populi mihi  
 26 laudes, Camenae, si gelidis sciens  
 27 monstror lacernis et secundo  
 28 cum siliquis caret arca pane ?  
 29 Regum poetae cura potentium.  
 30 Quondam lapillos et maris Indici  
 31 vincebat argutus libellus  
 32 et citharae pretium canorae.  
 33 Nunc concha vulgo gratior infido  
 34 dives monilis fulgor et aurei ;  
 35 vix unus immensum per orbem  
 36 igne calet viridis coronae.

#### DE CANE ET LEPORE

E1\_24 v.1 Cum leporem cupido sequeretur dente Molossus  
 2 et jam praeda fugax ore tenenda foret,  
 3 decidit Arcadia maturus ab arbore fetus  
 4 in caput auritum, saeve Molosse, tuum.  
 5 Sic subrepta tibi lepori data vita salusque  
 6 factus et es rhetor, qui modo consul eras.

#### IN CINNAM, QUI NIVE COLLUM LAURENTIS PERCUSSIT

E1\_25 v.1 Illa manus cari faciem violare parentis  
 2 et dare non meritis dira venena potest,  
 3 ante diem gravidi pondus dissolvere ventris  
 4 et rapere ante pios pendula vota deos,  
 5 quae nive concreta collum Laurentis eburnum  
 6 perculit ; et lacti fecit inesse notam.

#### AD NIVEM, QUAE IN EUNDEM IRRUIT

E1\_26 v.1 Inferior candore suo ne victa jaceret,  
 2 irruit in collum nix violenta tuum.  
 3 Verbere purpureum subito traxere ruborem  
 4 colla, rosis qualem juncta ligustra parant.  
 5 Sic auxit celebrem, voluit dum laedere, formam  
 6 nix tibi et indoluit vulnere laesa suo.

#### AD IULIUM FERRUM

E1\_27 v.1 Jam satis splendens olei lucerna  
 2 trivit et somno caruere noctes,  
 3 dum vigil curas veterum repostas

4                   pelle revolvis.  
 5    Quid manus cessas ferulis negare ?  
 6    Semper auditor docilisque durum  
 7    senties, Juli, rigida magistrum  
 8                   voce tonare ?  
 9    Reddat accepti gravidos maniplos  
 10   seminis tellus, sterili nec ultra  
 11   sudet in campo validus trahenda  
 12                   sub juga taurus.  
 13   Increpant castae tacitum sorores,  
 14   Cynthus tardo tibi vellit aurem.  
 15   Incipi ingenti fluvioque carmen  
 16                   currat ab ore.  
 17   Audiat solis geminum cubile,  
 18   quicquid arguta cithara sonabis,  
 19   teque inaudito tumuli lapillis  
 20                   eripe cantu.

#### IN EQUUM CAESARIS

E1\_28   v.1    Non auro tumefactus equus pede saxa revellit,  
           2           infremit et spumans chrysea frena terit,  
           3           non ebore aut pictis animos assumit habenis  
           4           et procul usque micans sistere quosque jubet,  
           5           sed quia conscendet nunc Caesar sessile tergum  
           6           in faciemque Dei conspiciendus erit.  
           7           Quot fieri cupient tanto sub pondere manni,  
           8           ad quorum nulli vota secundus ego.

#### AD TACITUM

E1\_29   v.1    Dum movet ad cytharam gressus saltatque Perilla,  
           2           et vario celeres ducit in orbe pedes,  
           3           decidit in collum crinis, qui fronte Sygambra  
           4           creverat et Latiae gloria pellis erat.  
           5           Sic pede dum gestit populo formosa videri,  
           6           turpior a calva visa Perilla cute.

#### IN EQUUM MARMOREUM A PRAXITELE CAELATUM

E1\_30   v.1    Praxitelis fueram caelis animatus et aura  
           2           testis erat motis per mea colla jubis.  
           3           Os dabat hinnitus, feriebat et ungula terras,  
           4           ad pugnam fortes aere ciente viros.  
           5           Tempus edax animam rapuit gelidumque reliquit  
           6           et sum marmoreum nunc sine mente caput.

#### IN EQUUM A PHIDIA CAELATUM

E1\_31   v.1    Quid frenare paras deceptus imagine saxum ?  
           2           Phidiacum hoc opus est, spiritus omnis abest.  
           3           Ars oculos fallit, manibus natura patebit :

4 visus equus ? Marmor postmodo tactus ero.

AD CANDIDUM

E1\_32 v.1 Non bene quid natum ferulis et voce libellum  
 2 terres, dum pueris scripta vetusta refers,  
 3 Candide ? Si priscis novitas invisita fuisset,  
 4 quod legeres nullum nunc superesset opus.  
 5 Vina facit meliora dies et musta vocavit  
 6 quae prelum senior Caecuba testa vocat.  
 7 Tu quoque per longum factus sapientior aevum  
 8 dixisti quondam verbula blaesa puer.  
 9 Sic liber hic priscus vatis post busta feretur,  
 10 sed timeo Numidum vestiat ante piper,  
 11 seu lacer inclusas flammas defendet ab Euris  
 12 aut gremio capiet sumina salsa lupi.

AD CAESAREM

E1\_33 v.1 Non ut Mygdonios emam lapillos  
 2 et surgat Phrygiis domus columnis  
 3 ac multo rutilet lacunar auro  
 4 aut ut conspicuus Lucullianis  
 5 hinc atque hinc tunicis eam per urbem,  
 6 aut ut torpidulam gulam sapore  
 7 centeno exacuam bibamque quicquid  
 8 cellis condidit alpha consulatus,  
 9 opto perspicias meos libellos  
 10 laetus et faveas subinde lectis,  
 11 sed quo me Latium measque nugas  
 12 cognoscat tibi plurimum placere.  
 13 Nam quicquid mihi postmodum Thalia  
 14 dictabit, citharam sonare Phoebi  
 15 credet, iudicio tuo iubente.

AD CALVUM

E1\_34 v.1 Nondum sicca novis satis exstat charta libellis  
 2 nec vendit carmen bibliopola meum,  
 3 et tamen est aliquis de me per compita rumor  
 4 et satis excultam credor habere chelym.  
 5 O, qualem tribuet famam post funera marmor,  
 6 si datur a cunis tam bona, Calve, mihi.

AD PALESTINAM

E1\_35 v.1 Ter centum tibi, Palestina, rugae,  
 2 dentes quattuor, undecim capilli,  
 3 Octavi cinerum immemor mariti  
 4 jungis te tamen integris puellis.  
 5 Gemmato digiti ligantur auro  
 6 collum et sardoniches rotundiores



7 cingunt et toga luculenta vestit  
 8 crescentes humeros pedesque pictus  
 9 ornat calceus, omnibus sed istis  
 10 vix solo potes Appio placere,  
 11 quem vidit puerum puer Quirinus.

## AD PHYLLIDEM

E1\_36 v.1 Picenae Veneris decus,  
 2 cui Phyllis coleris tam bene conjugii,  
 3 cui plumae senii cutem  
 4 rugosam variant, cui latus impotens,  
 5 et ferro, statua, nive  
 6 lumbus frigidior, nec dare mortuis  
 7 amplexus fugis artibus ?  
 8 At frustra Veneri Cyrus idoneus  
 9 et vultu roseo nitens  
 10 postes nocte tuos floribus implicat ;  
 11 frustra marmoreis caput  
 12 vexat liminibus, dum querimoniis  
 13 nocturnis adimit tibi  
 14 somnos et lacrimis robora januae  
 15 molliri miser autumat.  
 16 Sed non usque suum saeviet in jecur  
 17 ignitis faculis Paphi  
 18 regina et pariens jam minus et minus  
 19 Fastus ille tui jugo  
 20 collum non meritum subtrahet aeneo.  
 21 At tu dum sterili bovi  
 22 summittes tenerae corpora bucculae,  
 23 aetas effugiet pede  
 24 alato, soboles et nova pascuis  
 25 ludet nulla <etiam> tuis,  
 26 qua cernas Stygias laeta superstite.

## AD IULIUM POMPONIUM

E1\_37 v.1 Pomponi, decus eruditionum  
 2 non harum modo, sed quot arx Minervae  
 3 aut septem domini edidere colles :  
 4 sic sis cura diu omnium deorum  
 5 et te Pierides vocent parentem,  
 6 ut misso studio severiorum  
 7 Nugas illepidas ineptulasque,  
 8 quas scripsi calamo licentioso,  
 9 non duris nimium leges ocellis.  
 10 Aetatem teneram decent Camenae  
 11 molles ac Veneris Cupidinisque  
 12 lusus cum salibus leporibusque  
 13 audis et joco et omnibus cachinnis.  
 14 Certis postmodo mensibus sed actis  
 15 vultus Pieris induet severos  
 16 et scribet Curiis Catonibusque.

## AD GLAUCUM

E1\_38 v.1 Quintia Piceni misit mihi palmitis uvas  
 2 et poma Herculeo digna labore peti.  
 3 His et castaneas, quales Amaryllis amabat,  
 4 junxit et e Tusco stipite lecta pira  
 5 et saturas Umbro jam dudum lacte mariscas  
 6 malaque quis nomen Punica terra dedit,  
 7 omnia vimineo pariter velata canistro,  
 8 dixit et autumni munera parva sui.  
 9 Ast ego : "Non tanti sunt autumnalia dona ;  
 10 Autumnum calathus detulit iste mihi".

## DE ASPARAGO

E1\_39 v.1 Me manus asperso per spinas sanguine carpit.  
 2 Mercatur pretio nil graviore puto.

## AD PLANELLAM

E1\_40 v.1 Cum Venerem nudam Juno Pallasque videret  
 2 utraque : "Jam Paridi mitior - inquit - ero."

## AD MARSUM

E1\_41 v.1 Aspice Castorea laeva dum tractat habenas  
 2 ut Lepidus dextram tollit in astra minax  
 3 primaque ceu plantis imitatur cornua lunae  
 4 fortius et Nesso firmus inhaeret equo.  
 5 Et nunc ire sinit, stimulis nunc currere cogit,  
 6 nunc agit in gyrum pulverulentus eum.  
 7 Ventilat aura jubas, fumant sub naribus ignes  
 8 dentibus attritus fervet in ore chalybs,  
 9 spumoso phalerae candent sudore profusae  
 10 et tremit a cursu Roma superba suo.  
 11 Illius ad faciem miratrix turba movetur  
 12 et plausus caelo vix capiente sonant.  
 13 Cumque jam sileat de te cum Castore fama  
 14 cumque suo Lepidum postmodo narret equo.

## AD PLATINAM

E1\_42 v.1 Cum Jove Calliope genitam se saepe negare  
 2 audeat et patrem te putet esse suum,  
 3 jugeribus Paesti dicar misisse ligustra,  
 4 carmina si dedero qualiacumque tibi.  
 5 Ditius Oceani sed quid mage creditur undis  
 6 et tamen exigui suscipit amnis aquas ?  
 7 Tu quoque procedas liceat sub syrmate clarus  
 8 excipias socci crusmata rauca mei.

## AD DOMITIUM

E1\_43 v.1 Annosi, ut puto, Nestoris noverca  
 2 seu nutrix Priami aut socrus Thyestis,  
 3 jam caput male sustinente collo  
 4 et gressus baculo regente aniles,  
 5 Cosmello phialam novi Falerni  
 6 donavit pretium osculum petendo.  
 7 "Tanti non emo - dixit ille - mustum".

## AD IULIUM POMPONIUM

E1\_44 v.1 Inter amatores talos dum jactat eburnos  
 2 Phyllis et a risu temperat ora minus,  
 3 mercati patulis dentes cecidere labellis,  
 4 quos subito talos credidit esse Probus.  
 5 Et jactare parans numeros non vidit in illis,  
 6 quo dubias fertur continuisse manus.  
 7 At nihilum Phyllis subito deterrita casu  
 8 sustulit ore manus liberiore suas  
 9 et veras jecit per mensam callida sortes  
 10 ac ait : "A nobis ludere disce, Probe".

## AD IULIUM POMPONIUM

E1\_45 v.1 Jam vulgus nihili puto profanum  
 2 et frontes caperas gravesque rhonchos  
 3 ac murmur triviale lividorum,  
 4 detractent licet usque et usque et usque,  
 5 cum tu ineptiolas meae Camenae  
 6 probes, qui pater elocutionis  
 7 Romanae satis Atticos lepores  
 8 nosti nec nisi posteris legenda  
 9 laudas carmina, quae poeta morsis  
 10 cudit unguibus et vacante cornu  
 11 somni, cum moriens sitit lucerna.  
 12 Uno te duce tutius in altum,  
 13 implumes licet, efferam lacertos,  
 14 a tergo nebulis procul relictis,  
 15 nec me funera fabulaeque Manes  
 16 e terris rapiant diuque vivam,  
 17 ut busto cineres mei quierint.

## AD ASCLEPIADEM

E1\_46 v.1 Carmina quod centum solo vomat Aulus hiatu  
 2 et Cirrhae totas ore remittat aquas,  
 3 non facit inflatum Muis et Apolline pectus  
 4 nec sua divinus concitat exta furor,  
 5 sed movet ingenium cyathus, quo Mentoris arte  
 6 Bellerophonteus sculptus adhinnit equus.

## AD LUCULLUM

E1\_47 v.1 Argentum, mensas, vestes Indosque lapillos  
 2 et rarum quicquid divitis arca capit  
 3 possideas quamvis, claudentur marmore tecum  
 4 omnia, cum veniet funeris atra dies.  
 5 Nec tumulo minima restabis parte superstes  
 6 deque tuo sordes pulvere ventus aget.  
 7 Sed si Callimachi dicent tibi carmina laudes,  
 8 surget ab extremo multa favilla rogo  
 9 et tua saeculorum cariosos nomina dentes  
 10 effugient memori tuta canore lyrae.  
 11 Quae rapit hora sequens, moneo, da dona poetae,  
 12 qui tibi perpetui muneris auctor erit.

## AD CUPIDINEM

E1\_48 v.1 Dum pharetras arcumque premis cervice, Cupido,  
 2 et non assueto somnus in ore manet,  
 3 exsultent alii sperentque in amore quietem,  
 4 nam tua cessabit victa sopore manus.  
 5 Ast ego ne videas timeo mala somnia de me,  
 6 fine soles dempto quem cruciare vigil.

## AD LUCIDUM

E1\_49 v.1 Nullius ambitio quaesivit, Lucide, nomen  
 2 tam bene conveniens quam pater ipse tui.

## AD LUCIDUM

E1\_50 v.1 Quis dominam audaci nemorum formavit in aere  
 2 nudaque caelavit membra videnda deae ?  
 3 Hac procul a patera lymphas removete ministri,  
 4 ne laceret dominos turba canina suos.

## AD LIBELLUM

E1\_51 v.1 O, nec Cecropio lepore ridens  
 2 nec culte Ausonia satis Minerva,  
 3 curvatas nihili putes, libelle,  
 4 nares invidiae obloquentis usque.  
 5 Rarus ante rogos placet poeta,  
 6 sed post exsequias volat per ora.  
 7 Vix Marsum sua saecla, vix Catullum  
 8 norant : tu quoque posteris placebis,  
 9 si te nunc Papiensis approbabit.

## AD DOMITIUM

E1\_52 v.1 Argutum lepidumque candidumque  
 2 vatem te potui putare, sed cum

3 Argum me tua dixerit Thalia,  
 4 qui vix luminibus duobus utor  
 5 lippis, exiguis minutulisque,  
 6 urbanus minus et minus venustus  
 7 coepisti mihi protinus videri.  
 8 Huc adde : Inachidos vocas juvencae  
 9 cornua in puero aureos capillos.  
 10 O, quid rusticius poeta bellus  
 11 posses dicere ! Sed facis, poeta  
 12 ut non sis, male cum poema cudis  
 13 et mendaciolis procul remotis  
 14 nil dignum penitus canis poeta.

IN HORTUM BISSARIONIS

E1\_53 v.1 Tuscula quem tellus, biferi seu jugera Paesti  
 2 aut Praenestinum vellet habere solum,  
 3 quem sua Campanum cupiat rus gloria dici,  
 4 seu Picena sibi jungere certet humus,  
 5 quem si Massylli servaret cura draconis,  
 6 nollet in Alcidem Juno licere sibi,  
 7 quem patriis Nasica velit praeponere villis,  
 8 ut gravet autumno divitiore sinus,  
 9 est Tiberi conjunctus ager dominumque fatetur :  
 10 sic viret et jusso palmite gemma tumet.  
 11 Illic arsuros melius componere nidos  
 12 posset odoratus, quam novat ignis, avis.  
 13 Jam poterunt Arabas messes resecare Latini :  
 14 nec passim : solo Bissarionis agro.

AD CAESAREM

E1\_54 v.1 Non nova per Latium caelo demissa propago,  
 2 quae sacra sub nullo vindice jura colat,  
 3 nec bona Saturni redierunt tempora rursum,  
 4 sub quo non certo marmore cultus ager,  
 5 quae faciant populis haec chrysea saecula dici  
 6 et Pylios cupiat ter sibi quisque dies,  
 7 sed facies moresque tui spectataque virtus  
 8 haec faciunt jure saecula beata vocent.

AD FLACCUM

E1\_55 v.1 Quas liquidi potuere minus simulare colores,  
 2 sordidior spumas spongia pinxit equi.  
 3 Unica, quae cecini, castiget, Flacce, litura,  
 4 qualia ter centum non potuere decem.

AD LIBELLUM

E1\_56 v.1 Limina miraris caelo fabricata Myronis

2            tectaue digna deo vel Jove, parve liber,  
 3    Augustasque fores dubitas transcendere cultu,  
 4            cum tenues vatis testificeris opes.  
 5    Tura sed aurati regis turbaeque sagatae  
 6            flectunt aequali condicione Deum,  
 7    cujus ad exemplum terrestria numina tangit  
 8            pectore devoto nil nisi dantis amor.  
 9    Tolle moras pedibusque sacris conjunge labella :  
 10           mitius hoc tellus numen habere negat.  
 11    Cui si gratus eris, minio te ornabit et auro  
 12           et faciet cocco conspiciendus eas ;  
 13    at si grata minus recines, ornatior aequo es  
 14           ditior et cultus quam mereare tibi.

## LIBER SECUNDUS

### AD CAESAREM

E2\_1    v.1    Accipit Oceanus septena per ostia Nilum  
           2            nec minus exiguo quicquid ab amne fluit.  
           3    Sic tibi dent alii, quanto decet ore, libellos  
           4            Teque deum cithara fertilior canant,  
           5    at mea te minimo fumo veneretur acerra  
           6            et placeant agni non minus exta bove.

### AD LIBELLUM

E2\_2    v.1    Nunc iterum veneranda, liber, Palatia cernes  
           2            nec manibus forsitan reiciere dei.  
           3    Si qua refert passim non sanctius ore jocosus,  
           4            virginibus teneris aspicienda minus  
           5    et quae Cecropia caruissent laude sub arce  
           6            nec bene sunt Latio digna supercilio,  
           7    omnia sub rigidis abigat censura lituris,  
           8            virgineam ut castus ingrediare domum.  
           9    At minus ex aliqua fueris si parte pudicus,  
 10           censurae subitae crimen habere refer.

### AD GLAUCUM

E2\_3    v.1    Dum sequitur celeri choreas Entilia passu  
           2            et leviter saltu jactat utrimque pedem,  
           3    collecti in nodum sensim cecidere capilli  
           4            collaque sub niveis delituere comis.

5 Quae fuerit lapsi quaeris jactura decoris  
 6 aut quid profuerint tempora culta prius :  
 7 quae formosa fuit tantummodo credita cultu,  
 8 incepit lapsis gratior esse comis.

## AD COLUSCUM

E2\_4 v.1 Nunc te palliolo tegis, Colusce,  
 2 nunc erras tunicis superbus albis,  
 3 interdum Tyriis nites lacernis,  
 4 interdum trabeis togisque pictis.  
 5 Sic pannos varias die sub omni  
 6 et non, est habitus tibi perennis,  
 7 idem sed tamen omnibus diebus  
 8 sunt mores tibi pessimo, Colusce.

## AD ECHINUM

E2\_5 v.1 Dum puer ingenuas artes ediscere differs  
 2 innumeros menses et superesse putas,  
 3 improba venturos tibi jam mors auferet annos  
 4 coget et ad Stygios te properare rudem.  
 5 Poplitibus teneris non parcat dira sororum  
 6 et quem constituit servat, Echine, diem.  
 7 Sic tibi sit, moneo, tempus pretiosius auro,  
 8 cujus in arbitrio singula lege pari.

## AD PROBUM

E2\_6 v.1 Quod sileat semper tamquam lapis esset Opheltes,  
 2 quod superat picas garrulitate  
 3 quod nihil hic loquitur, nimis ille, in dispare facto  
 4 ambo odium populi par meruere, Probe.

## AD CARD. PAPIENSEM

E2\_7 v.1 Si veneranda rudis liber ad Palatia tendit  
 2 nec timet augustis auribus esse gravis,  
 3 non ego nescivi nec sum tam mentis egenus,  
 4 conveniunt tanto qualia dona deo,  
 5 sed mihi nota fuit placidae clementia mentis,  
 6 illa meo jussit pectore abire metum.  
 7 Quis credet ? Bonitas tua me peccare coegit,  
 8 si scelus indigna est mittere dona tibi.

## DE PASSERE SILVIAE

E2\_8 v.1 Quot fletus moriens Catullianus,  
 2 tot risus habeat, jocos, cachinnos  
 3 vivens passerulus meae puellae.  
 4 Nam cum sit solitus sua valente

5 hera perpetuum melos movere  
 6 et mecum cavea libens joculari  
 7 ac parvo digitos fricare rostro,  
 8 nuper non caput hinc et inde versat,  
 9 non aegram dominam canens salutatur,  
 10 sed maestus cavea silet, quiescit.  
 11 Illinc non pedibus nec ore pendens  
 12 torquetur dominae dolore passer  
 13 maeretque immeritum notasse febrem  
 14 vultum, purpureo prius colore,  
 15 qui vicit roseae deae quadrigas.  
 16 Crudeles superos miser vocaret,  
 17 si linguis volucrum daretur usus,  
 18 quo possent hominum referre voces.  
 19 Tam bella domina nefas carere  
 20 ducit passerulus morique mavult  
 21 et tegi pariter sepulcro in uno.

## AD CAESAREM

E2\_9 v.1 Cum tua sustineat regalia fercula mensa  
 2 quaeque nec stillant prela Falerna merum,  
 3 saepe tibi ponunt silvestria pruna ministri  
 4 rustica quae nec sint, sed quia rara placent :  
 5 et mea sic aliqua poterunt novitate placere,  
 6 plurima sint quamvis nobiliora tibi.

## AD CRETICUM

E2\_10 v.1 Vilia cum donas, tunc plenas, Cretice, corbes,  
 2 tunc mittis lances, cum pretiosa mihi.  
 3 Hinc cupio mittas mihi semper, Cretice, lances,  
 4 plura licet corbes munera sustineant.

## AD LUCULLUM

E2\_11 v.1 Infidos alios tibi, Luculle,  
 2 non est quod doleas fuisse semper,  
 3 cum nulli fueris fidelis umquam.

## AD CAECILIUM

E2\_12 v.1 Radices herbaeque Lupi domicenia cum sint  
 2 et careat totis mensibus igne domus,  
 3 cum jaceat gelidus sine plumis tempore quovis  
 4 vixque rudes paleas stragula trita tegant,  
 5 sordidulis thalamum cum velet aranea telis  
 6 et leviter digito scrinia tacta sonent,  
 7 rides quod tunica, quam mendax tinxit ahenus,  
 8 undique per populos conspiciendus eat.  
 9 Cum tu sumen edas, perdices, ostrea, rhombos  
 10 assiduo et caleat nigra culina foco,



11 pocula cum tingant crystalli vina Falerna  
 12 in plumis jaceas purpureoque toro,  
 13 Te Lupus irridet gelidis errare lacernis  
 14 quodque tua est pecudis tincta colore toga.

## AD CARDIANUM

E2\_13 v.1 Cum tussis loquerisve, Cardiane,  
 2 si te non video, puto Gigantem,  
 3 cum sis vel puero minor bilustri :  
 4 qua grandis potes omnibus putari,  
 5 ocello tibi carior sit auris.

## AD LUPERCUM

E2\_14 v.1 Saepe cibo dominae catulum reticere coegi,  
 2 prodita latratu ne mea furta forent.  
 3 Quin etiam pastis feritas deponitur ursis  
 4 escaque difficiles lenit amica lupos.  
 5 Cum Carolo cenas turdos, mullos leporemque  
 6 ac bibis annoso condita vina cado,  
 7 non tamen ipsius vitium narrare, Luperce,  
 8 desinis et mores enumerare malos.

## DE PERILLA

E2\_15 v.1 In latus faciem Perilla vertit,  
 2 solo prospiciens procos ocello.  
 3 "Cur - quaeris - quoniam Perilla lusca est".

## DE CARPHINIA

E2\_16 v.1 Annuit et renuit capitis Carphinia nutu,  
 2 si qua petit cupidus nocte dieve procos  
 3 verbaque nulla movens tacito silet usque palato,  
 4 ne vitium blaesi sentiat oris amans.

## AD TACITUM

E2\_17 v.1 Cum foliis dubiis et longo stipite crescit  
 2 radicesque minus altius ornus agit,  
 3 funditus exiguo quovis divellitur Austro  
 4 et ruit incassum pondere pressa suo.  
 5 Sic cecidit subito, nulla radice retentus,  
 6 rumor qui vatem dixerat esse Magum.

## AD BAPTISTAM RUSTICAM

E2\_18 v.1 Baptista, montis gloria Belluli  
 2 nec digna vitam ducere villulis

3 tectis, Minervae perita  
 4 ruricolis melius per artes,  
 5 frondes virentes aspice ut arbores  
 6 postquam dederunt, floribus emicant,  
 7 tum poma mittunt colonis,  
 8 mitia cum fuerint legenda,  
 9 certo racemos tempore colligunt,  
 10 putres ne ab ipso palmite decidant  
 11 usuque nullo cadentes,  
 12 quas genuit, fleat arbor uvas.  
 13 Sic et comosis undique frondibus  
 14 spirante fulsit vere Favonio  
 15 stipes tuus, pernitenes  
 16 tum peperit posuitque flores,  
 17 nunc poma ramos mitia degravant  
 18 ultroque carpi protinus appetunt,  
 19 ipsos sequuntur fugaces,  
 20 En, digitos cupiuntque velli.  
 21 At si resistes, praeterient dies  
 22 et te senectus sordida circuet.  
 23 Nunc, qua potens nunc, favilla  
 24 non tibi, non aliis placebit.

## AD CHLORIM

E2\_19 v.1 Commendo tibi Cosmici tabellam,  
 2 commendo tibi Cosmicum poetam.  
 3 Quem tu, si sapis, tuo parenti  
 4 aut si quid tibi carius parente,  
 5 praepones, etiam tuis ocellis.  
 6 Nam quid candidius beatiusque  
 7 vatis molliculo putas amore ?  
 8 Is te versiculis suis beabit,  
 9 is aequam faciet subinde divis.  
 10 Et te fulgidulos habere ocellos  
 11 et te candidula valere forma  
 12 et te lucidulo colore dicet,  
 13 crines aureolos tuos vocabit  
 14 et quae pars superest eburna fiet  
 15 corporis tibi, Cosmico volente.

## AD ASCLEPIADUM

E2\_20 v.1 Est nihil in cunis senio seu ponere vitam,  
 2 cum tibi sit nulla mors fugienda via.  
 3 Sed bene non nihil est vita decedere ab ipsa  
 4 namque aliquid superest exsequiasque fugit.

## AD GLAUCUM DE ARCHESILAO

E2\_21 v.1 Qui modo malus arcuum magister,  
 2 nunc est causidicus malisque tantum  
 3 causis asseritur suis patronus,

4 quam malus fuit arcuum magister.

AD ARCHESILAUM

E2\_22 v.1 Saepe lupo raptas pecudes vorat ipse Molossus  
 2 praesidiumque gregi non minus hoste nocet.  
 3 Tu quoque Corvini causam defendis, at ille  
 4 dat tibi divitias, jugera pauca, suas.  
 5 Te sine quam tenuem causam perdiderat ille,  
 6 sed sibi pars etiam nunc superesset agri.  
 7 Tu facis, ut causam teneat, sed perdat agellum.  
 8 Utilius quare succubuisse fuit.

AD GLAUCUM

E2\_23 v.1 "Quod petis hoc habeas" - dixisset sponte Lupercus,  
 2 si subito potuit sponte dedisse quidem.  
 3 Sed totiens petii, quod jam non sponte, coactus  
 4 assiduis precibus, quod dabit, omne dabit.

AD LEONICENUM

E2\_24 v.1 Languores varios levans Machaon  
 2 infirmis aliis parat medelam  
 3 non unam et variat salutis artes,  
 4 ad pestes quotiens novas vocatur.  
 5 At laudes nivei Luperciani  
 6 quovis Gellius audiente narrat.  
 7 Has dicit pariter bonis malisque  
 8 et servis dominis satellitique  
 9 ac regi, pediti, duci, colono  
 10 et civi, illepidis simul venustis,  
 11 in cunis pueris, togis severis  
 12 et canis maribusque feminisque.

AD PROBUM

E2\_25 v.1 Ut Tyria in popuo procedam sindone cultus  
 2 luceat et circum sardonichata manus,  
 3 vendere sollicito suades me verba clienti  
 4 inque foro trepidi dicere jura rei,  
 5 tu tamen exerces numerosi fenoris artem  
 6 et fieri dives vis sine lite, Probe.

AD HIULCUM

E2\_26 v.1 Pelle merum fracta si quis committit, Hiulce,  
 2 insanum certa se ratione probat.  
 3 Et tibi non grato quisquam si munera mittit,  
 4 multiforis cribris credere vina potest.

## IN CERVAM PICTAM

E2\_27 v.1 Tam similem verae cervae me pinxit Apelles,  
2 ut similis vivens sit mihi cerva minus.

## AD LUCIDUM

E2\_28 v.1 Cum sis lucidior manu Lyaei,  
2 sponsae candidulis Jovis papillis  
3 et vultu Veneris comaque Phoebi,  
4 bellorum clipeo deae corusco,  
5 Dictynnae pharetra colentis umbras,  
6 vasti lumine fulgido Cyclopi,  
7 gemmis Oceani marisque rubri,  
8 squama pisciculi cavisque conchis,  
9 guttis Heliadum, nitore gummi,  
10 auro casside pallido micante,  
11 splendenti gladio, thorace levi,  
12 astrictis Borea furente lymphis  
13 et terso digitis diu metallo,  
14 saxis Phidiaca manu politis,  
15 Apellis tabulis, nitente fonte,  
16 intactis violis rosisque primis,  
17 pomi cortice, vasculis eburnis,  
18 mollis deliciis simul puellae  
19 et vitro speculi, dedere nomen  
20 quam belle tibi Lucido parentes.

## AD SE IPSUM

E2\_29 v.1 Astrologus fatis natum me dixit amicis  
2 et bona praemonuit multa futura mihi.  
3 Non ea proveniunt, sed quod non vidit in astris,  
4 afficior multis nocte dieque malis.

## AD CICUTAM

E2\_30 v.1 Non multis studeat placere, quisquis  
2 vult dici lepidus suis libellis.  
3 Tu nulli penitus places, Cicuta,  
4 credo, sis lepidissimus poeta.

## DE SE IPSO

E2\_31 v.1 Callimacho fortuna brevis fuit usque, sed heu heu,  
2 quae jam parva fuit, incipit esse nihil.

## AD GLAUCUM

E2\_32 v.1 Inter continuo ambulat peritos,  
2 dum doctus rudibus cupit videri

3 et parvos socios Cicuta ducit  
 4 et major sibi creditur Cyclope.  
 5 Sed non fit socius tamen peritus  
 6 Pygmaei brevior Cicuta planta.

IN SIMULACRUM MARMOREUM

E2\_33 v.1 Quid mihi marmoreis manibus gestare libellos ?  
 2 Corde caret pectus usus et oris abest.

AD CANDIDUM

E2\_34 v.1 Crimen inest Cauno, simplex quod fallitur usque ;  
 2 Candide, tu fallis et tibi crimen inest.  
 3 Ille sibi tantum, multis sed inutilis es tu,  
 4 hinc odio dignum te graviore putant.

AD CANDIDUM

E2\_35 v.1 Quem carum dicas, non est tibi notus in urbe  
 2 nec qui te carum praedicet esse sibi.  
 3 Cum te nullus amet nec ames tu, Candide, quemquam  
 4 deterior nulla est conditione tua.

AD TUCCAM

E2\_36 v.1 Tucca, manum summam suades imponere nugis  
 2 quaeque canam monstras fortia facta ducum,  
 3 non tamen ostendis sumpti mihi lucra cothurni  
 4 quisve meo calici junget Alexis aquam.  
 5 Si nihil ingenuos prodest celebrare triumphos,  
 6 est satius quae me scribere, Tucca, juvent.

AD LECTOREM

E2\_37 v.1 Assiduo pretium quodvis corrumpitur usu  
 2 unaque non semper dentibus esca placet :  
 3 sic quater et totiens nugas si legeris istas  
 4 et repetes totiens, lector amice, puto,  
 5 taedia tu tandem dices afferre legenti  
 6 et lepidas spernes fessus ineptiolas.  
 7 Quo magis ut placeant, aliis jejunos inhaere  
 8 et mea post epulas vinaque multa lege.

AD DINDIMUM

E2\_38 v.1 Interdum magni subeunt magalia reges,  
 2 non ideo parvi conditione loci.  
 3 Corpore in exiguo majus quam dicere non est,  
 4 Dindime, non miror, si manet ingenium.

## AD CELEREM

E2\_39 v.1 Mellitas epulas cucurbitarum,  
 2 quis segnem poteras movere gustum,  
 3 foedavit Celer, improbus minister.  
 4 Nam dum vult lepidus nimis videri  
 5 urbanus nimis et nimis venustus,  
 6 conjunxit xenio jocos amaros  
 7 et fel Cecropio addidit liquori.  
 8 Hinc nullas tibi gratias habebo,  
 9 ni tantum mihi mellis ante mittas,  
 10 quantum munera fellis attulerunt.

## AD GLAUCUM

E2\_40 v.1 Si timet acceptam quisquam deponere vitam,  
 2 munera naturae nesciet ille suae.  
 3 Quod natura jubet, vacuum decet esse timore,  
 4 nam timor hic vitae commoda multa rapit.

## DE LYSIPPO

E2\_41 v.1 Hostis blanditias amat Lisippus,  
 2 fastidit patrias monitiones.  
 3 Insanum merito vocant Lysippum.

## AD PAMPHILUM

E2\_42 v.1 Cum tibi sit nihilum modicum seu, Pamphile, cordis,  
 2 seu nihil aut prodest bibliotheca parum.

## AD TITUM

E2\_43 v.1 Capra, pecus, vitulus depastas ruminat herbas,  
 2 utilis ut ventri sumpta sit esca magis,  
 3 nec cibus is prodest, subito quem guttura reddunt,  
 4 sed quae sunt stomacho fercula cocta diu.  
 5 Conditio est eadem scriptis, Tite, Callimacheis,  
 6 lecta tibi ut placeant, sed repetita juvent.

## AD CAESAREM

E2\_44 v.1 Non ego depositis videas gravioribus opto,  
 2 quas mea Musa tibi dictat, ineptiolas,  
 3 nec puto ducatur vacui tibi temporis hora,  
 4 credita nam rerum portio magna tibi.  
 5 Fercula sed postquam removerunt prima ministri  
 6 et properant celeri ferre secunda pede,  
 7 has poteris nugas anima percurrere sola

8           atque aliis horti jungere poma mei.  
9       Quodsi tunc etiam parvis tua cura negatur,  
10       haec tibi, quae misi, somnia vana puta.

## AD AULUM

E2\_45   v.1     Quod bonus Corydon malus videtur,  
          2     nulli profuit obfuitque nulli.  
          3     Aule, quod malus optimus videris,  
          4     nulli profuit obfuitque multis.

## AD BAROTIUM

E2\_46   v.1     Non mihi tanta meae fuerat fiducia Musae  
          2     tanta nec est tenuis credita fama lyrae,  
          3     auribus ut doctis etiam placuisse putarem  
          4     et tibi, quae canerem, carmina grata forent,  
          5     divitis interdum sed rustica fercula mensa  
          6     sustinet et dulci gratior unda mero :  
          7     hac ratione tibi, studio meliore remoto,  
          8     forte minus nugae displicuere meae.

## AD DINDIMUM

E2\_47   v.1     Scribis et, ut scribam, mihi semper, Dindime, dicis,  
          2     fers tamen ex scriptis praemia nulla tuis.  
          3     Est nihil aut modicum scribendo perdere verba,  
          4     tempora cum chartis perdere non modicum.

## AD PROBUM

E2\_48   v.1     Cum voces totiens Calliope mea  
          2     incassum societ lyrae,  
          3     cur ponam sterili semina litore,  
          4     poscis nunc etiam, Probe.  
          5     Non spe sollicitor muneris aurei,  
          6     ingratum referens Lycam,  
          7     sed narrare meae facta puellulae  
          8     in ripis Zeruli placet,  
          9     ut me basiolis ipsa beaverit,  
         10     risu, blanditiis, jocis.

## AD NESTOREM

E2\_49   v.1     Quot ver liliolis rosisque fulget,  
          2     quot silvis redeunt caduntque flores,  
          3     quot litus teretes habet lapillos,  
          4     quot pisces alit undecumque pontus,  
          5     tot rus delicias mihi paravit,  
          6     tot risus, pariter jocos, lepores.  
          7     O rus, splendidius beatiusque

8 magnis urbibus oppidisque bellis,  
 9 regnis omnibus et domo Tonantis !  
 10 Tu das cum domina mihi sub uno  
 11 sim tecto et capiam cibos eosdem  
 12 et sermone fruar manusque tangam  
 13 et ludam et prope dormiens quiescam,  
 14 illius satiem decore ocellos.  
 15 Et tot det mihi basiationes,  
 16 quot nec Lesbia praestitit Catullo.

EPITAPHIUM AVARI

E2\_50 v.1 Qui jacet hic, vivus nulli bene fecit, avarus.  
 2 Mortuus est aliis utilis atque sibi.

DE SPE SUA

E2\_51 v.1 Exoptata dies aderit tempusque petitum  
 2 et mea jam placidis cymba natabit aquis.  
 3 Quam cupio, fessus jam grex requiescet in umbra  
 4 et meus optata gramina carpet equus.  
 5 Sic mea fata volunt : post mille pericula rerum  
 6 excipiat facilis languida membra quies.

AD CAESAREM

E2\_52 v.1 Si Fortuna meo faciet me vivere voto,  
 2 est animus de te scribere multa tibi ;  
 3 si minus, externos invitus quaerere cogar  
 4 atque aliis de te scribere versiculos.

AD PAULUM

E2\_53 v.1 Discipulum nullus meminit vidisse Matonem.  
 2 Qua ratione refer, Paule, magister erit.

AD FAUNUM

E2\_54 v.1 Quis me carior optimo deorum,  
 2 quis stella regitur beatiore,  
 3 dum ducit ignotas per undas  
 4 et dubios scopulos carinam ?  
 5 Me quidem puero parentis ustae  
 6 nullus carior et deo volucris,  
 7 qui spargit immensum per orbem  
 8 sollicitis manibus sagittas.  
 9 En laudat mea Silviella versus,  
 10 quos scribo, et niveis suis papillis  
 11 conjungit haud duras tabellas  
 12 meque suum vocitat poetam.  
 13 Per me post cineres novissimamque



14 Lucem non rigidis viris placere  
 15 pergestit et clarae susurros  
 16 non nihili putat esse famae.

## AD CAESAREM

E2\_55 v.1 Quod multi de te dictant tibi carmina, Caesar,  
 2 Maeoniaque audent enumeranda lyra,  
 3 non facit altisonae Musae fiducia nec te  
 4 promeritum superis jungere posse putant,  
 5 sed pretium laudis suadet vigilare lucernam,  
 6 nam decus in magnis succubuisse ferunt.

## AD CAESAREM

E2\_56 v.1 Quod mea pacato legisti carmina vultu,  
 2 nescio quem rumor dedoluisse refert.  
 3 Ut graviore iterum tumeant praecordia bile,  
 4 quae cecini, nullus sit repetisse labor.  
 5 Dicta minus lepide quamvis, rudiuscula quamvis,  
 6 affirmes placeant et repetita tibi.

## AD CAESAREM

E2\_57 v.1 Quem pater aethereus caelo vix circuit orbem,  
 2 exiguis arctat cum color in tabulis,  
 3 tunc brevitatis mundi mensuras contrahit omnes  
 4 et propriis errat singula limitibus :  
 5 sic quicumque tuas temptat describere laudes  
 6 et tua vult paucis scribere versiculis,  
 7 nititur hic minima tabula perstringere mundum  
 8 inquinat et demens, quem celebrare cupit.

## DE SILVIA

E2\_58 v.1 Qualis erat, gremio pluvium quae sustulit aurum  
 2 aut quae mendacis tergore vecta bovis,  
 3 qualis olorina facie, quam lusit adulter,  
 4 pulchrior aut talis Silvia visa mihi.  
 5 Et cycnum falsumque bovem timuique metallum :  
 6 tantum erat aeterno digna rapina Jove.

## AD LUCULLUM

E2\_59 v.1 "Negasti pedibus meis cothurnum,  
 2 at soccum mihi" Silviella "carpe"  
 3 dixit, et teneras colas Camenas.  
 4 Hae solaciolum dabunt laborum,  
 5 his tu molliculos tuos amores  
 6 cantabis, vacuus perenne curis.  
 7 Et laeto modicis tibi licebit

8 quantum est hominum videre multis  
 9 semper sollicitum diesque nullos  
 10 laetis ducere mentibus terendos.  
 11 Namque hic fervidulas timet procellas,  
 12 dum merces fragili vehit phaselo,  
 13 Hunc solis rapidi favilla torquet,  
 14 ne fruges male praecoquat timentem,  
 15 hic caelum piceo colore cernens,  
 16 maturis pluvias timet racemis.  
 17 At pastor queritur minus salacem  
 18 esse lanigeri gregis parentem,  
 19 latronum pavidus manus rapaces  
 20 per silvas dubias tremit viator.  
 21 Nec miles propria quietus exstat  
 22 sorte et se miserum vocans sub armis,  
 23 Felicem penitus putat colonum,  
 24 laudat militiam colonus aequae.  
 25 Sic quivis alium vocat beatum  
 26 et culpat propriam subinde sortem.  
 27 At solus nimium superba vitans  
 28 et quae sunt humili nimis repellens,  
 29 quicquid est medium probans, utrisque  
 30 exstat candidior beatiorque  
 31 cunctis caelicolis magisque carus.  
 32 Is totos poterit notare mores  
 33 naturae et varias vices referre,  
 34 cur nunc se attenuent, subinde crescant  
 35 Phoebi cornua fulgidae sororis,  
 36 unde et exoriens dies resurgat  
 37 et qua, cum latitat, cadit sub unda,  
 38 quis frondes prohibet deus perennes  
 39 silvae ne teneant comosiores,  
 40 cum larix, hedera ac oliva, myrtus,  
 41 laurus ac abies, cupressus, ilex,  
 42 buxus, juniperusque ros marisque  
 43 semper sustineant comas virentes,  
 44 Iris cur vario colore dicat  
 45 venturas pluvias salumque litus  
 46 cur non praetereat Noto furente  
 47 et quantum dubii creavit usquam  
 48 Natura, is poterit referre clarum,  
 49 is nec pocula subbibet veneni  
 50 et spernet gladios potentiorum,  
 51 nam vitam sibi liberam paravit.  
 52 Hoc tu si sapiens iter beatum,  
 53 extremum fugiens, utrumque rerum  
 54 carpes et Veneres Cupidinesque  
 55 dices molliculis prius libellis,  
 56 aetas dum teneris vacare Musis  
 57 parcat, post gravior canes severos  
 58 versus, quos homines legant venusti".

## AD PLATINAM

2 cum bove privignum Popiliana suum :  
 3 "Rusticus ingenio superat te, Daedale - dixit -  
 4 artibus et caelis parcere disce tuis.  
 5 Cuditur incassum mendaci machina ligno :  
 6 sic melius monstrum carnea vacca feret".

## AD PALISCUM

E2\_61 v.1 Plumbo sculpsit opus, tuos  
 2 vultus tam simulans optimus artifex,  
 3 quod quicumque laboribus  
 4 confert artificis nunc faciem tuam,  
 5 restat quam dubius sibi,  
 6 quis vestrum alterius sumpsit imaginem.

## AD PALISCUM

E2\_62 v.1 Virgilius multi fieri voluere, Palisce,  
 2 et tibi versiculos concinuere suos.  
 3 Tu multis fieri Maecenas velle negasti,  
 4 cum pretium tulerit nulla Camena suum.  
 5 Sed sapis atque equitem Tuscum te vincere constat  
 6 ingenio : pretium carminis ille dedit,  
 7 tu pretium non das, versus tamen accipis ultro,  
 8 quo fit habes carmen carminis et pretium.

## EPITAPHIUM PHILIPPI

E2\_63 v.1 Dum mergis laqueos struit Philippus,  
 2 ut mergos avido voraret ore,  
 3 mergis in liquidum natavit esca.

## AD LIGURINUM

E2\_64 v.1 Quemvis versiculis beas  
 2 et frangis Stygiae robora januae,  
 3 cantu restituens tuo  
 4 umbras corporibus, quae vada livida  
 5 nigra transierant rate.  
 6 Sic vatis potuit Bistonii chelys  
 7 Inferni rabiem canis  
 8 et cinctas Furias tempora viperis  
 9 et quantum est per Stygias domos  
 10 tormenti, modulis flectere dulcibus.  
 11 Sed magnus citharae labor  
 12 est res ista tuae : vivida concine  
 13 interdum et titulos meae  
 14 componas lepido carmine Silviae.

## AD PHILADELPHUM

E2\_65 v.1 Dum tibi discipulus et erit, Philadelphe, magister,  
2 non tu discipulus nonque magister eris.

## AD PLATINAM

E2\_66 v.1 Tu licet Alcinoi dives verseris in horto ;  
2 quam cupida carpens aurea poma manu,  
3 non ideo spernas celata Cydonia lana,  
4 qualia pauperior noster agellus habet.  
5 Nam tua sunt oculis tantum gratissima poma,  
6 Nostra quidem stomacho luminibusque placent.

## AD CHLORIM

E2\_67 v.1 Quid dura fetus dilaceras tuos,  
2 Chloris, tenaci filioli manu  
3 carpens nitentes capillos  
4 molliculas genulasque plangens ?  
5 Nescis medullis an genitum tuis,  
6 quem sic fatigas verberare livido,  
7 in teque fuisse nescis,  
8 dum novies reparata luna ?  
9 Nescis labores innumerabiles,  
10 quos hunc tulisti visceribus ferens  
11 quantumque nascens doloris  
12 cunniculo dederit tenello ?  
13 Nescis lacertis et quotiens tuum  
14 collum ligavit, mollibus appetens  
15 labris eburnas papillas,  
16 quas digitis teneris fricabat ?  
17 Curis gravatam saepe tenacibus  
18 ridere fecit blanditiis suis  
19 verbisque ludens jocosus  
20 basia corripuit negata.  
21 Heu saeva belli filioli comis  
22 jam parce, Chloris, verberis improbis  
23 usum relinquens, reponat  
24 <in> statione manus capillos.

## AD CYPARISSUM TONSOREM FORMOSUM

E2\_68 v.1 Tam leviter ferro barbam, Cyparisse, recidis,  
2 ut gravius cum flas, spiritus ora terat.

## DE LACRIMIS AMBROSEOLAE

E2\_69 v.1 Quas modo per genulas tristibus exsequiis  
2 fundebat lacrimas Ambroseola patris,  
3 non equidem lacrimae, sed puto nectar erant,  
4 quod Jovis assuevit Phryx puer in calice

5 ponere, caelicolas cum vocat ille deos  
6 solemnes mensis et jubet esse dapes.

## AD GLAUCUM

E2\_70 v.1 Mollia cum legerem carmina Quintilio,  
2 ille ait : "Hic video plurima digna Lini".  
3 Tunc ego : "Sunt doctis munera, quae rudibus".  
4 Ille refert : "Fiat nulla litura tibi".

## AD CRONICUM

E2\_71 v.1 Quo latus armatum semper tibi, Cronice, ferrum  
2 ambiguum forma nomen habere puto.  
3 Illius est acies curvata simillima falci,  
4 quod superest, gladii quo teneatur, habet.  
5 Non tamen est gladii nec falcis nomine dignum,  
6 sed neutrum cum sit, inter utrumque manet.

## AD MUSAM SUAM

E2\_72 v.1 Jam sat, rufula pervicax, jocorum  
2 cantasti lepidae meae puellae.  
3 Quisnam finis erit facetiarum,  
4 quas legant Veneres Cupidinesque ?  
5 En laudant tenerae meas puellae  
6 nugas, molliculo sinu reponunt,  
7 chartas manciolis terunt tenellis  
8 et me nequitiae meae poetam  
9 dicunt. Quae Latiis puella : vivit  
10 oris, versiculis magis decora  
11 quam quae concinitur meis libellis  
12 et quam plus oculis amare dicor ?  
13 Hanc permirificam vocant Latini,  
14 cunctis deliciis venustiolem,  
15 ipsam lucidulum putant ocellum,  
16 quo caecus meus ambulat Cupido.  
17 Ponas sordidulis modum tabellis.  
18 Jam sat, rupula pervicax, jocorum  
19 cantasti lepidae meae puellae.  
20 Tandem turpiculas relinque villas  
21 et frondes nemorum comosiorum,  
22 infer Thespiadum manum choreis  
23 et ducas gelidum pedes in antrum.  
24 Illic Gorgoneus liquor capillos  
25 hinc inde aridulos tuos rigabit.  
26 Non omnes humiles juvant Camenae,  
27 quam multi numeros probant severos.  
28 Jam sat, rupula pervicax, jocorum  
29 cantasti lepidae meae puellae.  
30 Tandem molliculos sinas cachinnos  
31 et surgens gravibus Thalia chordis  
32 deponat numeros libens procaces.  
33 Nam sat, rupula pervicax, jocorum

34 cantasti lepidae meae puellae.

AD CHIRIACUM

E2\_73 v.1 Nil pro versibus accipit poeta,  
2 qui nostri titulos canit Perotti,  
3 mendaces quoniam Perottus odit.

AD THEOPHRASTUM

E2\_74 v.1 Quod nulli memorant prius poetae,  
2 quod nullus didicit prius nec ipse,  
3 quod per me cupio sciant nepotes :  
4 pisces Gorgonea natant sub unda.

AD SEPTUMULEIUM

E2\_75 v.1 Si qua movet Manes cineris bona fama sepulti,  
2 carmine laeta tuo nobilis umbra Titi est  
3 nec dolet Aonii titulis ornata poetae  
4 ante diem corpus deposuisse suum.

AD QUINTILIUM

E2\_76 v.1 Quid me lyrulam tangere rursus,  
2 o, mihi luminibos anteferende, jubes ?  
3 En Sergiolus dissona chordis  
4 nescio quo pacto carmina nostra refert.  
5 Si Sergiolus vera recenset,  
6 jam lyra non doctis concidat e manibus,  
7 si Sergiolus falsa recenset,  
8 quem non vult patula sentiat aure sonum  
9 et Callimachi nomen in orbe  
10 cantetur merita laude perenne sibi.

AD PALISCUM

E2\_77 v.1 Ut referant facies fabricant simulacra sepultas  
2 verbaque pro lingua littera picta facit.  
3 Tu facis, ut vivus gelida videare figura  
4 et loquitur quod tu sculpta tabella taces.  
5 Seu dubitas, quin te faciat tua Musa perennem  
6 et fieri plumbo debiliore putas,  
7 seu cupis effigiem proprii discernere vultus  
8 nescius hanc umbram posse referre tibi,  
9 Te faciet clarum melius tua Musa metallo  
10 et faciem vitro verius inspicies.

## AD LOLLIUM

E2\_78 v.1 Quam multo capitis dolore torpes  
 2 intrare et strepitum negas senatus,  
 3 ut talos moveas manu valenti,  
 4 non istud medicae sciens Machaon  
 5 artis instituit, tuum sed exstat  
 6 inventum et cupio sciant nepotes,  
 7 si quando ut capitis dolore languent,  
 8 tractet dextera tesserar, fritillos.

## EPITAPHIUM HELENAE

E2\_79 v.1 Hic Helene miserata proci pereuntis amores  
 2 conditur, immiti non lacrimata viro.  
 3 Nec poterat tenerum numquam violare pudorem,  
 4 sed pia cui pietas inde negata fuit.

## AD SILVIAM

E2\_80 v.1 Tandem parce tuis, Silvia, luminibus,  
 2 a quibus e nostro sanguine gutta cadit.  
 3 Non refugit Venetos nausea gurgitulos,  
 4 ut te destituam, tam neque lentus amo.  
 5 Nil tibi sed demptis ars mea basiolis  
 6 et dare per trivium murmur inane potest.  
 7 Heliadum fletus tu tamen usque petis  
 8 et cupis articulos cingere chrysolitis.  
 9 Quid faciam ? Cultus vis tibi lucidulos  
 10 et laus in Veneto vix mihi sola luto.  
 11 Desine me lacrimis attenuare tuis.  
 12 Non ego te fugio, postmodo sed veniam,  
 13 cum faber aut praeco seu citharoedus ero.

## AD CORANNUM

E2\_81 v.1 Jam paucos numerat menses tua vita, Coranne,  
 2 umbraque per Stygios jam tua quaerit iter.  
 3 Et puer es puerique putant te nomine dignum.  
 4 Non facit hoc aetas, sed tua simplicitas.

## AD AVITUM

E2\_82 v.1 Dum quereris canos nimium properare cutemque  
 2 ante diem, dicis, ruga senilis arat,  
 3 quin te paeniteat scelerum testaris, Avite,  
 4 in vitiis quereris teque fuisse parum.

## AD TACITUM

E2\_83 v.1 Quid mihi si messes Arabas et jugera Paesti

2           Eoque ignes Silvia turis olet,  
 3           si nivibus primis matutinisque ligustris  
 4           dentibus est Indae candidiorque ferae  
 5           si bene culta comas, quantum licet esse puellae,  
 6           nec nisi delecta conspicienda toga,  
 7           munera vult ea ; nulla mihi ; nihilumque ferenti  
 8           non exoratum janua robur habet.

## AD PHILADELPHUM

E2\_84   v.1       Semper avos atavosque tuos, Philadelphie, recenses  
           2           illorumque loquax multa tropaea refers.  
           3           Quis etiam jungis celebris benefacta parentis  
           4           egregium fecit quicquid et enumeras.  
           5           Sed bene nil narras umquam quod gesseris ipse  
           6           teque putas veterum laude nitere satis.  
           7           Fallaris : illorum probitas tibi dedecus affert  
           8           et vitium accusat terque quaterque tuum.

## AD CAESAREM

E2\_85   v.1       Rerum Platina temporumque custos  
           2           scriptorque Euganeo secundus ad me  
           3           accedit quotiens, salute nondum  
           4           dicta nec bene spiritu quieto,  
           5           quem passus, puto, mille concitarunt,  
           6           hortatur, monet et precatur, instat  
           7           per Manes cineresque proximorum  
           8           et quodvis superum inferumque numen  
           9           ad te, quem dominum deumque dico,  
 10          ut secum veniam, sed ipse, ne te  
 11          ad risum moveam meis ocellis  
 12          hiulca et pariter locutione,  
 13          venturum nego. Platinam monebis,  
 14          ne me sollicitet rogetque, tandem  
 15          aut vatem, moneo, tuum videbis,  
 16          lippum rusticulumque sordidumque.

## AD IULIUM

E2\_86   v.1       Sunt illinc tibi, Juli, et hinc ministri,  
           2           quales non tulit Ida Graeciaeque  
           3           quicquid abluit undecumque pontus,  
           4           et manes tamen integer, pudicus,  
           5           tamquam sis gelidus senex et inter  
           6           Tithonos Priamosque Nestorasque.  
           7           Aut alter, puto, Tantalus sub undis  
           8           vivis perpetuo siticulosus  
           9           et mus in medio horreo esuritor,  
 10          aut es Hippolytus pudiciorque  
 11          si quisquam Hippolyto fuisse fertur,  
 12          cum peccare queas minusque pecces.



## AD PAPIENSEM

E2\_87 v.1 Dicebam placuisse tibi mea carmina nuper,  
 2 at mihi "mentiris" unus et alter ait.  
 3 Erubui, neque enim potui tunc dicere : "Munus  
 4 hoc mea sit testis, si Papiensis amat".  
 5 Da mihi, quo liceat linguas cohibere profanas  
 6 aut opus hoc fatear displicuisse tibi.

## IACOBUS PAPIENSIS CARD. AD CALLIMACHUM

E2\_88 v.1 Non es mentitus, placuerunt carmina : munus  
 2 en tibi, dic teste hoc : "Carmina nostra placent".

## AD PAPIENSEM

E2\_89 v.1 "Numquid nunc etiam negare, Livor,  
 2 audebis, cithara licet saligna  
 3 dictem rusticulus poeta carmen ?  
 4 Me laudat Papiensis et placere  
 5 affirmat sibi, quicquid oscitavi.  
 6 En testis tibi distichon, quod ille  
 7 ceu domum mihi misit, o beatum  
 8 munus, quod neque temporum vetusta  
 9 corrumpet series nec imber instans  
 10 aut saevi maris impotens procella.  
 11 Non istud tineae voracis ora  
 12 seu furum minuent rapacitates".  
 13 Riserunt comites superbientem  
 14 et carmen digitis tuis negarunt  
 15 scriptum, quod neque gemma fateretur  
 16 hoc nomen ; rubui subinde ; rursus  
 17 in te, si cupis, albeam repostus.

## AD PHILIPPUM

E2\_90 v.1 Invitas ; venio ; dapibus tua mensa superbis  
 2 instruitur fastis et seniore mero.  
 3 Nam quaesita paras diverso fercula sole,  
 4 hospitibus possent quae satis esse deis.  
 5 Illic Tarpeiae custos mihi ponitur arcis  
 6 et cum perdicis pectore chortis aves  
 7 quicquid et Aetolo lautus laudaret in apro  
 8 et proles nondum fronte timenda bovis.  
 9 Addis et involucres Dodonae matris alumnos  
 10 quamque prius Phasis impia novit avem.  
 11 Magna quidem et magno sunt haec te digna, Philippe,  
 12 at pretium mecum solius assis habent.  
 13 Quid juvat innumero mercata numismate cena,  
 14 cum possis solo lautior esse cibo ?  
 15 Da mihi buccellas et sobria pocula pone ;  
 16 si Lepidum addideris, omnia cara dabis.

## AD PLATINAM

E2\_91 v.1 Quis furor est auro totam vacuare crumenam,  
 2 dum vates vati prandia lauta paras ?  
 3 Juppiter ambrosias epulas et nectaris haustus  
 4 spernat, ni Phrygius pocula tractet amor.  
 5 Nil Corydon laudat, fuerit si demptus Alexis,  
 6 tu procul a Lepido prandia grata putas.  
 7 Castaneas malleum montanaque corna dedisses  
 8 atque olerum quicquid rustica mensa probat,  
 9 dummodo cum niveo Lepido conviva fuissem  
 10 et lateri haesisset strictius ille meo.

## AD RAVENNATEM

E2\_92 v.1 Si memini, tua jussa prius pallensque tremensque  
 2 volvebam tacito terque quaterque sinu  
 3 unguibus et morsis multum vigilare solebam  
 4 singula censurae postmodo danda tuae.  
 5 Sed fuit in cursu tunc spes studioque placendi  
 6 quodlibet his humeris non grave pondus erat.  
 7 Nunc piger archetypis mandata negotia chartis  
 8 exsequor et coepit fervor abire meus.  
 9 Qua fiat ratione, petis : labor urget arantem,  
 10 credita si parvo fenore reddit ager.

## AD FABIIUM

E2\_93 v.1 Nugarum studiose congregator,  
 2 quas vinum mihi dictat et Cupido  
 3 inter tot strepitus negotiorum,  
 4 quid gratus tibi debeam tuisque  
 5 membranis, miniis et umbilicis,  
 6 quis cultus meus ambulat libellus  
 7 inter manciolas tenerrimarum,  
 8 novi et versiculis meis rependam.  
 9 Scribam quod neque neglegentiorum  
 10 rubigo neque deleat vetustas :  
 11 non est Callimachi perennis ore,  
 12 sed cura Fabii, libellus iste.

## AD RAVENNATEM

E2\_94 v.1 Danti erat exiguum munus, sed grande petenti,  
 2 quod mea nunc petiit plena rubore chelys.  
 3 At mihi, quod mitto, magnum, tibi vile fatemur :  
 4 sic tribuens rubeo, nec minus ante petens.

## AD PAPIENSEM

E2\_95 v.1 Natali Domini Deique nostri  
 2 aurum non leve sponte liberalis,  
 3 cum nihil peterem, dedit Ravennas.  
 4 Misisti tacito nihil ; videbo  
 5 quid dabis, Papiensis, ecce posco.

## PAPIENSIS

E2\_96 v.1 Si dedit, ut perhibes, natalia dona Ravennas,  
 2 dona, quod a nobis expedit, accipias :  
 3 non bene, cum satur est, modulatur carmina vates  
 4 nec bene, cum plena est, fictilis olla sonat.  
 5 His modo contentus non poscas altera : mavult  
 6 saepe tumens venter stertere quam legere.

## AD PAPIENSEM

E2\_97 v.1 Non mihi quod dederit natalia dona Ravennas,  
 2 sed quia non dederis, expedit, accipiam.  
 3 Jejunus jejuna tibi dictabit Homerus  
 4 nec bene, cum vacua est, fictilis olla sapit.  
 5 Non est cena satis, poscuntur prandia, mavult  
 6 esuriens venter rodere quam legere.

## AD CAESAREM

E2\_98 v.1 Quod legis atque probas quicquid mea fistula lusit  
 2 et quod me vatem Romula terra putat,  
 3 quod non ad Scythiam propero Pontumque rigentem  
 4 quodque mihi vitae spes melioris adest,  
 5 hoc tibi me semper gratus debere fatebor  
 6 meque tuum dicam non opus esse Jovis.

## AD SIGISMUNDUM MALATESTAM IMPERATOREM

E2\_99 v.1 Jam diem veri similem reducet  
 2 arcus ardentem reserans Olympum,  
 3 horrida in summos properare montes  
 4 nubila cerno.  
 5 Extulit se jam tenus umbilico  
 6 Nereus, ventos fugat et reponit  
 7 quicquid undarum tumuisse cernit  
 8 in statione.  
 9 Rursus e sicco referent in undas  
 10 te, ratis, venti, meliore cursu,  
 11 quas seces, tonsas nemus hoc et illud  
 12 transtraque reddet.  
 13 Fervet ingenti nova pix aheni  
 14 qua tuae puppis coeant hiatus ;  
 15 quam minus reris, tibi silva malum

16                   porriget ultro.  
 17    Consuit Pallas tibi vela, Brontes  
 18    ancoras cudit Siculo camino,  
 19    ut vehas reges iterum Latinos,  
 20                   Punica navis.  
 21    Creditos reddes tibi constitutis  
 22    finibus, spargent latus omne flore  
 23    integris mixtae pueris puellae,  
 24                   non sine cantu.  
 25    Ordinum summus minimusque factus  
 26    concolor, sumptis niveis lacernis,  
 27    lusibus festis tibi blandientur  
 28                   more triumphii.  
 29    Teque post centum reducem coronas  
 30    pendulam templo medio dicabunt  
 31    et tuos sculpent memori tabella  
 32                   undique casus.  
 33    Naufragus de te media procella  
 34    multa securo repetet dabisque  
 35    spem fatigatis quoque posse palmis  
 36                   tangere litus.

AD AUGUSTUM CARD. MANTUANUM

E2\_100 v.1    Dum pater eloquii semesos Platina fastos  
           2            excutit a tineis pulvereoque sinu,  
           3            ac illos renovat mansuros tempus in omne,  
           4            qui modo vix gemini gloria mensis erant,  
           5            et meminit structa divi genitoris ab urbe  
           6            omnia, ab Etruscis semina prima petens  
           7            semideosque atavos omnes prolemque tuorum  
           8            ingenio Euganeo nobiliore refert,  
           9            haec semel aspicias vacuus post tempora cenae  
 10            et placeat posito nectare lympa tibi.  
 11    Illa quidem fessa dudum cervice legenda -  
 12            nec brevior valuit tanta referre liber -  
 13    haec anima decies poteris percurrere sola  
 14            in quibus, exempto te, nihil aspicias.  
 15    Quid mihi cum proavis ; cum sis augustior illis  
 16            stellaque majori luceat igne tua ?  
 17    Munera, consilium, probitas, convivia, mores,  
 18            quis superas divos, enumeranda mihi.  
 19    Sed non unius facit hoc jactura quietis,  
 20            promissi testem nunc tibi carmen habe.

AD LIBELLUM

E2\_101 v.1    Commodius dornire fuit quam scribere nugas,  
           2            ni fueris vati fratribus utilior.

AD CLARISSIMUM VIRUM AUGUSTINUM DE MAFFEIS

E2\_102 v.1    Maffeae sobolis decus perenne

2 et nitor proavo nitore major,  
 3 fratrum gloria patriaeque sidus,  
 4 quo possit merito superba cristas  
 5 una exserere altius suosque  
 6 per te crescere Plinios, Catullos  
 7 laetari et veteres redisse partus,  
 8 hic quodcumque mihi licentiosus  
 9 dictavit jocus inter eruditos  
 10 Marsos, Septimuleios et Planellas,  
 11 Bassos, Chiriacosque Platinasque  
 12 do munus tibi tutius subinde,  
 13 ut rhonchos valeat severiorum.

## AD LIBELLUM

E2\_103 v.1 Augusti subiture domum nugose libelle,  
 2 comprime nequitiae libera verba tuae,  
 3 ne nimium petulans, cithara dum ludis acerna,  
 4 turpiter a casta rejiciare manu  
 5 inficiatque tuum festiva licentia vatem,  
 6 unde putent vitae crimen inesse meae.  
 7 "Nil - inquis - vereor : peperit Verona Catullum  
 8 et solita est molles saepe videre jocos.  
 9 Concivis legit ille sui laudatque proterva  
 10 carmina et extincti passeris exsequias".  
 11 "Quid tibi cum tanto, demens, est vate ? Putasne  
 12 illius exemplo te quoque posse legi ?  
 13 Erras : Cecropiam passim sapit ille Minervam,  
 14 Te melius blaeso balbutit ore puer".  
 15 "At legar et steriles nugae fortasse placebunt,  
 16 usus in his quamvis nullus ineptiolis".

## AD LECTOREM

E2\_104 v.1 Versiculos ne sperne, meae sed parce juventae,  
 2 lascivum si quid vatis ab ore venit.  
 3 Qui cecinit pecudes et villas arma virumque,  
 4 cantarat lusus, nude Priape, tuos.

## AD LECTOREM

E2\_105 v.1 Quae non culta satis seu quae lasciva videbis  
 2 passim versiculis insinuata meis,  
 3 si minus apta legi pueris castisque puellis  
 4 censes, nil puer hic nilque puella legat.

## AD LECTOREM

E2\_106 v.1 Clamabam : "Rigidae socrus castaeque puellae,  
 2 oppositae claudant lumina casta manus.  
 3 Exuor et prodam nudatis omnia membris,  
 4 cernere sit vobis vel pudibunda nefas".

5 Quid vox profuerit, quaeris. Quae carpserat ante,  
6 protinus illa meos coepit amare jocos  
7 et quibus haud rigidae lasciva licentia Musae  
8 grata minus fuerat, mentula grata fuit.

## AD SARACENUM

E2\_107 v.1 Liminis augusti cultor custosque perennis,  
2 cui patet Etrusci mens taciturna dei,  
3 et nondum natas curas in pectore noscis  
4 scriptaque divino cordis in ore legis,  
5 cum regnare rosam noris tempusque leporum  
6 mensaque Phidiacis cum spolianda cadis,  
7 "Callimachi - dices nostro dominoque deoque -  
8 quo valet, invigilat parva lucerna tibi.  
9 Quae licet exiguo lychno moribunda tremiscat  
10 duret et ad medium noctis oliva parum,  
11 quantum fata sinunt, vigili tibi lumine servit :  
12 sic Tagus et rivos in mare volvit aquas".

## AD CAESAREM

E2\_108 v.1 Non decus ut praestent, obducunt stragula muros,  
2 quae Lugdunensi pectine picta vides,  
3 haec loca nam melius domino veniente coruscant  
4 et pallent viso Gallica vela deo,  
5 at quia templa subit populus discrimine nullo,  
6 ad sacra sed paucos ultima ducit iter,  
7 pendula disposuit Caesar spectacula turbae,  
8 cui nondum fas est ora videre dei.

## AD SEPTUMULEIUM CAMPANUM

E2\_109 v.1 Rarus et niveus nitor pilorum,  
2 qui nunc Luciduli micat per ora,  
3 non est asperior rigensque barba,  
4 quae mento Cynicique Stoicique  
5 innasci solet esuritiosi,  
6 sed lanugo novae virilitatis,  
7 qua jam femineos trahat calores,  
8 cum solum maribus placeret ante.  
9 Hanc tu basiolis teres duobus  
10 aut linguae minima fricatione.

## AD DINDIMUM

E2\_110 v.1 Qualia, quae cudis, sint carmina, Dindime, quaeris.  
2 Id tibi prima notet syllaba facta duplex.  
3 Hactenus auferesim scribendo dextera fecit,  
4 dum nimis inceptum claudere gestit opus.  
5 Sed si currentem gravior frenabit habena  
6 et vagus in proprio limite sistet equus,

7 "carmina" non scribet tua dextra, "cacamina" semper  
8 teque tibi fuerint iudice nota satis.

## AD AESCULAPIUM

E2\_111 v.1 Uxorem futui videns ab Aulo  
2 Argus continuo pedem reduxit  
3 et post in thalamum vocavit illum  
4 et dixit : "Mihi servias, minister,  
5 in cena placet, in fututione  
6 nolo sis mihi denuo minister".

## AD IUSTINUM

E2\_112 v.1 Non bonus unde vocer, quaeris, Justine, poeta,  
2 unde minus placeant, quos cano, versiculi.  
3 Vellere sub vili non est facundia dives,  
4 non sapit et pauper conditione mala ;  
5 sed si purpurea splenderent veste lacerti,  
6 facundus, sapiens dicerer atque probus.

## AD MARSUM

E2\_113 v.1 Corpore non madido mediis qui stabit in undis,  
2 inter formosos hic mihi castus erit.

## AD NEARCUM

E2\_114 v.1 Quid confise brevi puer iuventa  
2 spernis versiculos meae Camenae ?  
3 Cursu praetereunt dies fugaci,  
4 aetatem spatio brevi terentes,  
5 sed plus perpetuis perenne saeculis  
6 hoc quodcumque canet Thalia vivet.

## AD NEARCUM

E2\_115 v.1 Pendent vertice candido Nearci  
2 crines aureoli, micant ocelli  
3 ceu perlucidulus nitet lapillus.  
4 Et frons est eboris glabella, nasus  
5 et mentum, genulae, labella, collum,  
6 pectus ac humeri, manus, lacerti  
7 et quicquid tegit hinc et inde vestis  
8 a summo capitis pedes ad imos.

## AD FLAVIUM

E2\_116 v.1 Nequior assueto cur sit mea charta requiris.  
2 Deterior sors est, quam fuit ante mihi.

3 Non levis immensum tollit medicina dolorem  
 4 nec satis ingenti est unica gutta siti.  
 5 Sat fuerat lusisse semel modicumque Lyaei,  
 6 dum potui solo laetior esse joco.  
 7 Nubila nunc adeo mens est et plena malorum,  
 8 quod sibi sat lusus quotlibet esse negat.

## AD MARSUM

E2\_117 v.1 Non nocet, incultas habitat dum vipera rupes,  
 2 non quem tunc possit laedere, virus habet.  
 3 Nec fuit in silvis facies non hostis Amori ;  
 4 castior Hippolytus esse coactus erat.  
 5 Inter formosos pueros te vivere castum  
 6 Hippolyto summam demere laudis erit.

## AD NESTOREM

E2\_118 v.1 Dum vellus tibi Colchicum sorores  
 2 producunt facili manu diesque  
 3 electricis, adamantibus, smaragdis  
 4 omnes dinumeras nec urbe tota  
 5 est quisquam magis aut decorus aequae,  
 6 aetatis volucris memor, poetas  
 7 et Musas cole, postmodum nepotes  
 8 ut spreto Phrygiae nitore formae  
 9 mirentur mage Pisciense sidus.  
 10 Nam dum stas, loqueris, taces, moveris,  
 11 discumbis, vigilas, legis, quiescis,  
 12 dum scribis, tacite subit senectus  
 13 et formae spoliolum tuum reportat  
 14 quaevis hora ; nihil tibi relinquet  
 15 annorum series tuosque vates  
 16 si scriptis titulos suis tacebunt,  
 17 tandem sub tumulo brevi jacebis  
 18 vicinis male notus et propinquus.

## AD CAESAREM

E2\_119 v.1 Jam sopor totas adeat medullas  
 2 et quies curis recreet gravatum  
 3 pectus immensum liceatque rerum  
 4 ponere pondus.  
 5 Nam tuo cervix oneri secunda  
 6 Flaccus ex ipso rediit cubili  
 7 mortis et serpens velut obsoletos  
 8 exiit annos.  
 9 Impium Fatum puduit ministro  
 10 te, reor, tanto spoliare morbo.  
 11 Plus fatigatus viret ut bipenni  
 12 robora tonsa.  
 13 Non tamen multo senio solutus  
 14 nuper exarsit tremuitque pro te,



15 sed labor summus vigilisque trivit  
 16 cura vigentem.  
 17 Terruit cunctos gravis hora fati,  
 18 nuper exsultant alacres per urbem,  
 19 ordinis summi minimique certant  
 20 gaudia passim.  
 21 Quis mihi voti locus aut acerrae  
 22 tot preces inter populi patrumque,  
 23 quae meam cervix inopem securem  
 24 sanguine tinguet ?  
 25 Non satis, totos liceat juvencos  
 26 valle Clitumnus ab utraque mittat,  
 27 perferant omnes Arabes maniplos,  
 28 sufficiam nunc.  
 29 Sed deo caespes viridans salisque  
 30 mica cum farris placuere lance  
 31 inter auratas pateras gravesque  
 32 turis acervos.  
 33 Nectite abscissum prope jam sorores  
 34 stamen et Phrixi trahite omne vellus,  
 35 nemo transmisso numeret sub aevo  
 36 tempora Flacci.  
 37 Haec dies illi memoranda semper  
 38 jure natalis videat Kalendas  
 39 Nestoris post hanc precor et Sybillae  
 40 transeat annos.

## IN MENSAM CUPRESSINAM

E2\_120 v.1 Filia Cretaeae redolens sum mensa cupressi,  
 2 plus meus Apicio fercula condit odor.

## IN MENSAM CUPRESSINAM

E2\_121 v.1 Quis prohibet fieri redolenti e stipite mensam,  
 2 funeribus folia sint licet apta mea ?

## AD PAULUM

E2\_122 v.1 Hac reor Erigonen decepit Bacchus in uva,  
 2 si tamen haec uvas inter habenda mihi.  
 3 Nam nec Hymettus habet similem nec Massica vitis,  
 4 sic sapit et solis tosta vapore nitet.  
 5 Cecropios das, Paule, favos dicisque racemos,  
 6 cerea cum claudat dulcia mella cutis.

## AD LUCULLUM

E2\_123 v.1 Natalis quotiens redit Tonantis,  
 2 quicquid fert ratis Indicae magister  
 3 et merces Arabas Tagique harenas  
 4 dant donum facili manu potentes.

5 At vates minime pecuniosi,  
 6 quis demptis calamo lucernulaque  
 7 et guttis olei duabus, omnis  
 8 restat chartea postmodum supellex,  
 9 dant carmen, nihilominus decorum  
 10 gemmis et Tyriae colore vestis.  
 11 Carmen pallidulo datos sepulcro  
 12 vitae restituit beatque fortes  
 13 et pulchro numero inserit deorum.  
 14 Hoc tu candidulis, Luculle, baccis  
 15 praefers, hoc tibi mittere ipse possum,  
 16 sed non multiplici oblitum litura,  
 17 nam meae situs arcae araneosus  
 18 et pullus gelidae color lacernae  
 19 a me carminis otium repellit.

## AD FLAVIANUM

E2\_124 v.1 Quid mihi, si decies repetam tua tecta, priusquam  
 2 audiar ? Id laudi detrahit usque tuae.  
 3 Dum quater incassum venio totiensque revertor,  
 4 jam tibi devotum crescere posset opus.

## AD GLAUCUM

E2\_125 v.1 Quid credis totiens semina litori  
 2 fallaci aut sterili jugo  
 3 durata assiduis colla laboribus ?  
 4 Non sic invalidus timet  
 5 invisae coluber rostra ciconiae  
 6 aut ungues patrios fugit  
 7 ciris seu scopulos nauta Maleacos,  
 8 ut te Pamphilius puer  
 9 incassum pedibus tardus et impotens  
 10 sectaris volucrem ; melos,  
 11 non illum citharae flectere Thraciae  
 12 seu merces queat Indica,  
 13 aures difficiles ut satis applicet,  
 14 quas fundis precibus, miser.  
 15 Non multis lacrimis, non querimoniis  
 16 mitescet, gemitus tuos,  
 17 ceu fluctus liquidi saxa Ceraunia,  
 18 spernit : sic abeunt dies  
 19 frustra, dum vetitis ducis amoribus  
 20 in vultum croceam notam,  
 21 nec te sollicitat cura negantium  
 22 bustis corpora frondium.

## AD CAESAREM

E2\_126 v.1 In mea nunc omnes hederæ si corpora serpent  
 2 et viridis circum tempora laurus eat,  
 3 non ego Pierias lymphas hausisse putabor

4           seu digitum castis implicuisse choris.  
 5    At si me lepidum dices, Francisce, poetam  
 6           Castalii credar duxque paterque gregis,  
 7    dum loqueris, quoniam Lybiae vox exit ab antro  
 8           sive tuo fatur Delphicus ore deus.

AD AUGUSTUM CARD. MANTUANUM

E2\_127 v.1    Jam prope sat laetum nihil est mortale futurum  
 2           disponetque sua Juppiter exta manu,  
 3    aurato in populum descendet bractea nimbo  
 4           pellet et invisam tam bona praeda famem.  
 5    Pendula deficient avidae spectacula turbae  
 6           unaque sat cupiet sit sibi Roma via.  
 7    Et faciet volitans nocturna crepuscula pulvis  
 8           ac male credetur sol agitasse rotas.  
 9    Namque patrum niveis praecedet turba lacernis  
 10           aureus albenti tuque veheris equo  
 11    et populo sperata dabis spectacula Martis  
 12           teque palam poterit dicere Roma deum.

AD TEARCUM

E2\_128 v.1    I procul hinc lauri, quondam mea cura, corolla,  
 2           si pueri pretium calceus esse potest.  
 3    Quod calamo chartisque peto vigilique lucerna,  
 4           det mihi cum corio fibula posse frui.

AD SILVIAM

E2\_129 v.1    Cum mihi subtristi promittis, Silvia, vultu  
 2           quod peto, promissis tunc caruisse velim.  
 3    Quae tibi grata magis, cupio magis, et tibi quicquid  
 4           displicet, hoc etiam displicet omne mihi.  
 5    Munera si qua dabis, quaeso, des fronte serena :  
 6           non amo multiplici dona coempta prece.

AD LUPERCUM

E2\_130 v.1    Multi possideas facis, Luperce,  
 2           nulli possideas facis sed unde.  
 3    Utrumque est vitium malum nocetque,  
 4           sed pejus nimium manet secundum.

AD COSMICUM

E2\_131 v.1    Quid colere Aonias, Cosmice, Pierides  
 2           quidve juvat lepidos scribere versiculos ?  
 3    Vis fieri vates ? Collige divitias.  
 4    Namque tribus nummis venditur Ovidius,  
 5           Virgilium solus dat tibi denarius,

6 carmina dant magnae quattuor Iliados.  
 7 Quaevis prisca chelys vatis et ingenium  
 8 an nescis assis unius in pretio ?  
 9 Dormiat, ut primum sidera non latitant,  
 10 uncta lucerna tuo, Cosmice, gymnasio  
 11 et tibi cum Baccho seruiat alma Ceres.

## AD QUINTILIUM

E2\_132 v.1 Nunc hos nunc alios manu Cicuta  
 2 libros perpetuo vehit per urbem,  
 3 ut dicat populus : "Peritus hic est",  
 4 sed plenis manibus nihil libellis  
 5 sapit, cui vacuum caput cerebro.

## AD FAUSTINUM

E2\_133 v.1 Quamvis in pretio sit reverentia  
 2 rugosi capitis cum nivea coma,  
 3 mallet Quintilius quam venerarier  
 4 nunc mollis fieri, quo meretricibus  
 5 ac esset pueris semper idoneus.

## AD LUCULLUM

E2\_134 v.1 Nunc bona forma tibi, sed mens non recta, Luculle :  
 2 mens bona cum fuerit, tunc mala forma tibi.

## AD LECTORES

E2\_135 v.1 Non ego Cadmeas Thebas, non civica bella,  
 2 non facies versas, non Phrygis arma viri,  
 3 non pecudes, non rura cano ; quicumque requirit  
 4 ista, sit a nostro longius usque libro.  
 5 Me legat, offendit quem non lasciva Corinna,  
 6 Cynthia nec Sappho Lesbia nec Nemesis.

## AD CRONICUM

E2\_136 v.1 Si pestis teneram tibi parentem  
 2 et fratres rapuit, simul sorores,  
 3 quid tu non meritas comas recidis  
 4 et nudas caput omnibus capillis ?  
 5 O, solaciolum novum doloris,  
 6 ignotum ac atavis avisque priscis !  
 7 Illi ab exsequiis caputque mentum  
 8 detonsum minime diu ferebant,  
 9 quod index habitus foret doloris.  
 10 Sed tanti tibi mors tuae parentis  
 11 non est, ut capitis feras dolorem  
 12 et curam propriae abnuas salutis.

## AD MEMMIUM

E2\_137 v.1 Trojanis atavis decora proles  
 2 quod sis et celebris nepos potentis  
 3 Mnesthei ac genitus jubente Phoebos,  
 4 ut per te Latium solum quiescat  
 5 nec Parthos timeat fuga feroces,  
 6 jocosae citharae referre non est.

## AD SILVIAM

E2\_138 v.1 Menses effugiunt, Silvia, Silvia,  
 2 menses effugiunt et nive candidis  
 3 hiberna redeunt gramina collibus  
 4 et ramis virides comae.  
 5 Vestit purpureum litora floribus  
 6 ver nuper, variis horrea frugibus  
 7 aestas sicca gravat, pinguibus amphoras  
 8 autumnus satiat meris,  
 9 umbrosis foliis exuit arborum  
 10 ramos bruma rigens : sic vicibus solum  
 11 mutatur variis ; sidera nubibus  
 12 nec semper latitant nigris,  
 13 et nunc plena micat lampade fulgida,  
 14 nunc Phoebe latitat, certaue lucidus  
 15 certo signa deus tempore circuit ;  
 16 non semper placidum mare  
 17 et quandoque Noto, nunc Aquilonibus  
 18 fervet ; perpetuum nil fuga temporis  
 19 in terris patitur. Te quoque, Silvia,  
 20 mutabit volucris dies.  
 21 Accedet capiti nix, senium tuo  
 22 et fastus tetricae cornua contrahent  
 23 rugae ; ni tumulo corpora livido  
 24 reddas, ante dies graves.  
 25 Tunc quamvis careat robore janua  
 26 et gratis liceat tangere limina,  
 27 ad te lentus ero, jusseris ac licet,  
 28 causas inveniam morae.

## AD COSMICUM

E2\_139 v.1 Hactenus ignita facula faciente ruborem  
 2 Musa verecundis edidit apta genis  
 3 et quae virgineis manibus tractare liceret  
 4 ac legeret coram nupta pudica viro.  
 5 Nunc moriens somnos coepit suadere lucerna  
 6 et pudor in tenebris tutior esse putat.  
 7 Jam non casta canet, latebrae remove pudorem,  
 8 profert immodicum libera verba merum.  
 9 Sit satis ignavi partem legisse libelli,  
 10 cosmice : Silviolae scripta secunda meae.

## AD CRONICUM

E2\_140 v.1 Litterulis denis, moneo, mercabere culum,  
 2 bis quater acceptis, qui negat esse tuus.  
 3 Has quoque si renuit, "bis denas accipe" dicas  
 4 et totidem jungas, si satis esse negat.  
 5 Mille licet tribuas, emitur bene, Cronice, culus,  
 6 dum satis ad pretium scripta papyrus erit.

## AD LUCILLUM

E2\_141 v.1 Cum moechas futuis, vir es, Lucille,  
 2 femina es, patiens fututiones.  
 3 Quo fit a facie, Lucille, leno,  
 4 a tergo meretrix queas vocari.

## AD TACITUM

E2\_142 v.1 Nuper anum patula properabat inire fenestra  
 2 nec poterat cupidus Pamphilus arrigere.  
 3 Lumine damnato quo clausit utrimque fenestram  
 4 ac ait : "In tenebris non mihi turpis eris".  
 5 Nec mora, pertumuit sublata mentula luce  
 6 egit et officium terque quaterque suum.  
 7 Lumina at illa suae noscens inimica figurae,  
 8 optavit caecos protinus esse viros.

## AD AUGUSTUM CARD. MANTUANUM IN FUNERE SORORIS

E2\_143 v.1 Hac traxere die nigrantia vellera Parcae,  
 2 quam tibi signabit Stygia madefactus in unda  
 3 calculus, et quotiens acto renovabitur anno,  
 4 funereae pullo celebrabitur ordine pompae.  
 5 Nam jacet in media soror intercepta juventa  
 6 venturis fraudata bonis multumque cupito  
 7 connubio, cujus non exorabile fatum  
 8 florentes annos primaque in parte recidit  
 9 stamina felici digito deducta sororum.  
 10 Unde sed aggrediar nondum tractabile vulnus  
 11 quodque tibi tanto mentem rapiente dolore  
 12 lenimen mea Musa canet ? Tu flere paratus,  
 13 nec lacrimis adhibere modum jactura sororis  
 14 Te sinit et surda solamen despicias aure.  
 15 Nec mirum : rapit inde tuos mors improba sensus  
 16 et matura minus rapit hinc in sanguine fratris  
 17 nomen, et absenti quod adempta sit illa, moveris,  
 18 et venit ante oculos, quod quando revisere caelum  
 19 et natale solum patrio cogeris amore,  
 20 non illa accurret tibi gratatura manumque  
 21 conjunctura tuae, facie cultuque decora,  
 22 quis bene germano poterat te digna videri.

23 Et si forte petes, ubi sit Dorothea, sorores :  
 24 "Cur, quae me lacrimis abeuntem vidit obortis,  
 25 non me nunc laetis redeuntem suscipit ulnis ? "  
 26 Quod superest solum, signatum in marmore nomen  
 27 illius ostendent aliquisque ex ordine letum  
 28 quaerenti exponet, cujus minus ora tenebit  
 29 et dolor et fletus, referetque, ut repsit in artus  
 30 insidiosa quies vitaeque recesserit aura  
 31 utque, fatigati cum jam languore maligno  
 32 deciderent vultus et visibus error adesset,  
 33 rursus in aethereas auras e limine mortis  
 34 se referens, caros fratres tenerasque sorores  
 35 felicesque prius nec passos ante parentes  
 36 triste aliquid jussit moribunda voce valere,  
 37 te tamen absentem nixu majore vocavit  
 38 multaue tunc etiam, quamvis moritura jaceret,  
 39 cura fuit pro te superos ambire precando  
 40 proque salute tua supplex his vocibus orsa est :  
 41 "O superi, quoniam rapior juvenilibus annis  
 42 nec licet optatos ex me generare nepotes,  
 43 fraternum servate caput, date candida Parcae  
 44 fila trahant illi, superet quoque Nestoris annos.  
 45 Sic non omnino pater invidisse putabit  
 46 vos sibi, sic columen credet superesse suorum".  
 47 Illius inde memor, de quo, si fata tulissent  
 48 nec foret ad superos virgo revocata, futura  
 49 mater erat, secum supremo murmure dixit :  
 50 "O cui virginitas fuerat mea danda, superstes  
 51 pars melior mansura mei ! Licet impia multum  
 52 me trahat ante diem mors, non invita jacerem,  
 53 si mihi subreptos possem tibi relinquere Janos.  
 54 Sic placitum superis : moriens in flore juventae  
 55 destituo thalamos, quod jungere uterque cupivit.  
 56 Quamvis non licuit properataque funeris hora  
 57 dividit amplexus sperataque gaudia rupit,  
 58 tu modo parce tuis lacrimis, ne conjugis umbra  
 59 vexetur plangore tuo ; post funera si quis  
 60 restat amor, tumulo liceat sim condita, semper  
 61 Teque tuosque colam, te tangat cura meorum  
 62 sitque illis, voluisse satis, quod fata negarunt ;  
 63 sic ego nec Stygios nec lucida Tartara cernam,  
 64 sed loca summa petam caelique admittar in oras".  
 65 Dixerat et moriens circumvolitabat Amorum  
 66 turba pudica caput sponsique adstabat imago.  
 67 Denique purpureum vulsit Proserpina crinem  
 68 vertice ab aurato frigusque inrepsit in artus.  
 69 Non Maro, Lethaea si nunc remearet ab ora,  
 70 per vetitum regressus iter, patriamque videret  
 71 in lacrimis versam, dominam dum plorat ademptam,  
 72 exsequias posset merito describere versu.  
 73 Illic Inda seges Cilicumque Arabumque manipuli  
 74 quicquid et in Latium mittit Panchaica tellus  
 75 fluxit et implerunt redolentia nubila caelum  
 76 certaruntque tuis radiis funalia, Titan.  
 77 Ingemuit populus lacrimasque ex ordine cives  
 78 pro domina fudere sua, nec flesse putares

79 ad bustum dominae, fratrum sed flere sorores  
80 funera, natorum matres natosque parentum.  
81 Nec visus gemitus tanto satis esse dolori,  
82 talia quin madidis lacrimarum rore querelis  
83 clamarent : "Divum quis certo foedere junxit  
84 invidiam, Fortuna, tibi. Quaecumque beasti  
85 limina, non aequis oculis ea cernit et alta  
86 gaudia perturbat saevae conamine dextrae.  
87 Florebat Gonzaga domus, caelestia vincens  
88 sidera natorum rutilo splendore suorum.  
89 Nil querulum, nil triste sibi tam laeta timebat,  
90 inclite, quod timeat nec habet, Ludovice, fatemur,  
91 te salvo genitoque tuo, ceu cardine cujus  
92 religio innixa est humero sociataque magnis  
93 cum dis sceptrata tenet, seriem quis temperet orbis.  
94 Unde inconcussos quaterent mala Fata Penates,  
95 invenere tamen laetumque intrare lacunar  
96 vis saeva instituit, nam cum te numina terris  
97 vix bene monstrassent, crescentes Atropos annos  
98 abstulit. Heu nimium superi, Dorothea, putarunt  
99 Gonzagam jam posse domum, diuturna fuisses  
100 si magis in terris, tantaque aequabat alumna  
101 vertice sublimi stellatum Mantua caelum.  
102 Nil probitas, nil casta fides, nil forma nec aetas  
103 semideumque genus, nil ars et cura medentum  
104 profuit ! Ut rapido pallent sub sole ligustra  
105 et subitos violae declinant culmen ad Austros,  
106 sic sensim niveo cessit de corpore sanguis.  
107 Heu ubi virgineus pudor est candorque nivalis  
108 sidera marmoreum collum crinesque micantes  
109 ex auro, quibus haec Latias heroidas omnes  
110 vincebat tantumque fuit conspectior illis,  
111 Nereidum quantum superat Venus aurea turbam !  
112 O, ubi venturum genus et sperata nepotum  
113 progenies, Latiis quae post regnaret in oris  
114 et geminos belli studio pacisque referret  
115 semper avos meritoque satam de semine tanto  
116 cognosci posset parque esset laude vetustis  
117 aut major, certe saeculis imitanda futuris ! "  
118 Mincius interea lacrimis audentibus undas  
119 creverat et solito multo violentior ibat  
120 nec satis assuetis poterat consistere ripis.  
121 Venit ad Eridanum postquam vis major aquarum,  
122 concitus ille prius tanto subitoque tumore :  
123 "Bella mihi - dixit - video popularia ; tangit  
124 flumina laudis amor, dolet hic sua nomina ab undis  
125 intercepta meis et quod mare notus adire  
126 non valet, ut faciunt rivi fluviique minores".  
127 Inde caput cannis cinctum ceu cornibus unda  
128 extulit et causam subitarum sensit aquarum.  
129 Tum verum totos nimbos cecidisse putares  
130 et totas fluxisse nives e montibus altis :  
131 sic Padus intumuit latosque erravit in agros.  
132 Non eadem mansit campis silvisque jugosis  
133 forma, sed abjecta specie pallere videres  
134 omnia, demissis squalebant lilia passim



135 frondibus et violis fuerat decor omnis ademptus.  
 136 Sic genus aerium fuis miserabile pennis  
 137 triste aliquid rauco stridebat in aethera rostro  
 138 et quae caede solent semper gaudere ferarum  
 139 agmina inassuetis oculis lacrimasse feruntur.  
 140 Quis neget et montes Nymphas ululasse per omnes  
 141 et Satyros rurisque deos quotcumque colendos  
 142 fontibus et silvis cis Alpes Gallia nutrit ?  
 143 Venit et ad populos dolor intra moenia tandem  
 144 atque urbes, quascumque Padus videt, undique vertit  
 145 in luctus : flebant pariter iuvenesque senesque,  
 146 quae fuerant dominae clamantes funere digna.  
 147 Ter quater implerat lustratas lampade terras  
 148 Phoebus et argentis totiens incensa sororis  
 149 cornua monstrarat, requiem nec fletibus ullam  
 150 addiderant, videre novi cum sideris ignes  
 151 et novere tuam caelo fulgere sororem  
 152 inter avos atavosque suos, sed sidere quali  
 153 praevius adducit radiatum Lucifer axem.  
 154 Tum subito posito luctu venerabile credunt,  
 155 quod nuper flebant, et digna voce salutant.  
 156 Tu quoque neu seriem fati nescire puteris  
 157 et quod lege pari morituri nascimur omnes,  
 158 seu potius videare queri, loca plena quietis  
 159 quod Dorothea colit, lacrimarum contrahe lora.  
 160 Non soror occubuit, terras fugitura reliquit  
 161 ad superos, stellis ubi juncta refulget avitis  
 162 et tua ab excelso benefacta videbit Olympo  
 163 laeta, quibus clarum sidus radiabis ab alto,  
 164 sed sero : nam terra prius pacanda fretumque,  
 165 ut non invitus totus tibi serviat orbis  
 166 omniaque in priscum per te reditura metallum.  
 167 Et cum jam tellus omnisque aget otia pontus,  
 168 canitie Pylis senior remeabis ad astra,  
 169 unde datus terris, et parte nitebis ab omni.

## AD NESTOREM

E2\_144 v.1 Jam meae nervi lyrulae quiescant,  
 2 cujus ad cantus nihilum moveris,  
 3 sed dies passu veniet citato,  
 4 quo meum multi facies canorem.  
 5 Tunc ego tactus meliore divo  
 6 atteram plectro graviore fila,  
 7 ut mei funus superent libelli  
 8 nec tegar totus tumuli lapillo,  
 9 sed rogi postquam cineres quierint,  
 10 me manus jactet rigidi magistri  
 11 et loquar vivo similis per urbem.  
 12 Urna sed tecum titulos recondet,  
 13 quos mea non vis cithara referri.  
 14 Et tuum spernet titulum viator  
 15 nec gemens "Belli pueri quiescant  
 16 ossa in hoc - dicet - niveo sepulchro  
 17 molliter oro."

## AD GLAUCUM

E2\_145 v.1 Incedit clausis ideo Rufina labellis,  
2 ne dentes patulo, quos emit, ore cadant.

## AD LECTOREM

E2\_146 v.1 Qualia Virgilius lascivo lusit in horto,  
2 talia non rigidus verba libellus habet.  
3 Praedia sed siquis dederit vicina Cremonae,  
4 abductas flebit tunc Meliboeus oves.  
5 Nec mora, per Siculam flores populabimur Hyblam,  
6 si fuerint placidis otia digna jugis.  
7 Rursus et Aeneas Lybicas calcabit harenas,  
8 qui mihi vina paret si quis Alexis erit.

## AD AUGUSTUM MAFFEUM

E2\_147 v.1 Si qua jocosa meis et te non digna libellis  
2 Maffee cernes gloria prima domus,  
3 non ea dictavit nimium mea Musa proterva  
4 conveniuntque minus moribus illa meis.  
5 Talia multorum mores et vita requirit,  
6 est quibus indignum scribere casta nefas.

## AD MENALIPPUM

E2\_148 v.1 Insidias hosti quales, Menalippe, parares,  
2 si geminos fratres decipis atque patrem.

## AD SILVIUM

E2\_149 v.1 Nescio, cur claude quaeris connubia, Silvi,  
2 pallentis taedas, sed scio, cur subeas.  
3 Cum sit fulva tibi, facies quoque fulva puellae,  
4 pro natis aurum tu generare putas.

## AD COSMICUM

E2\_150 v.1 Cum dare, quae cupiunt, pueris non posset Olenus,  
2 exiguo cunnos munere tristis emit,  
3 quodque licet futuit, cum pedicare negetur :  
4 sic mala naturam sors variare potest.

## AD FABULLUM

E2\_151 v.1 Hispidulum monuit Mauri sic ira cinaedum :  
2 "Si non das hodie, cras minus aptus eris".

## AD FAUSTINUM

E2\_152 v.1 Quam bene Saturni praebebant temporibus glans  
 2 fercula simplicibus populis, potum liquidus fons,  
 3 aede pari fuerant homines, etiam pecudum grex,  
 4 juncta suis qualem faciebat stipitibus frons.  
 5 Tunc mel, lac, flos, glans, lens, vas, puls, sal quoque, nux, far  
 6 munera magna tuo puero fuerant, Corydon, sat.  
 7 At pueri pueraeque simul nunc percipiunt aes,  
 8 quo modo tu careas omni simul et careas spe.

## AD LECTOREM

E2\_153 v.1 Cum Musis juveni licet jocari.  
 2 Scripsit improbius Camena si quid,  
 3 aetatem potuit decere mollem.

## AD PLATINAM

E2\_154 v.1 Squamea brumali torpebat frigore serpens,  
 2 laedere calcantem non satis apta pedem.  
 3 Aspicit hanc pastor gremioque imponit amico,  
 4 sanguinis ut proprii sublevet igne gelu.  
 5 Illa venenato pastorem dente fatigat,  
 6 ut sensit virus intepuisse suum.  
 7 Sic gelida argentem togula nudisque lacertis  
 8 sordidulis pedibus squalidulisque comis  
 9 Phaedronium Lupiis propria pietate recepit,  
 10 viveret ut servi conditione jugi.  
 11 At vacui postquam replevit corporis antrum  
 12 Phaedronius turdis, sumine, ficedulis  
 13 coepit et insolitis sommos deducere plumis  
 14 et rudibus legem ponere criniculis,  
 15 quam prius incassum digiti temptare solebant,  
 16 deliciis tantis mentula pertumuit  
 17 et Lupii teneram coepit violare sororem,  
 18 nec mora, conjugii jura pudica sui.  
 19 Hoc Lupius novit voluitque carere ministro,  
 20 coeperat ex illis namque timere sibi.

## AD IOLLAM

E2\_155 v.1 Quod semel Archephylax cunni damnarit hiatum  
 2 et "Puerum sponsum - dixerit - esse puta"  
 3 pedicare tibi semper concedis, Iolla,  
 4 semper et uxore pro Ganymede frui.  
 5 Cum piget errati, culpa est peccasse pugilla,  
 6 sed scelus est vitium fine carere tuum.

## AD SILVIAM

E2\_156 v.1 Jam satis incasto lusisti, Silvia, plectro.  
 2 Hic sit lascivis finis ineptiolis.  
 3 Ut pateat tibi casta domus nugasque receptet  
 4 et neget Augustus turpiter ire foras,  
 5 fortius astringas loro retinente tenaci  
 6 frena, per effusas quae jacuere jubas,  
 7 et cane quae rhonchos contemnant casta malignos  
 8 nec timeant fieri paenula pisciculis.

## AD LIBELLUM

E2\_157 v.1 Quamvis Inda pecus minus tabellas  
 2 praebuerit niveas dente nitente tibi,  
 3 quamvis nec crocei decor coloris,  
 4 nec tibi sit Tyria sindone culta cutis,  
 5 augusti subeas domum pudicos  
 6 nec rubor ad digitos te vetet ire suos.  
 7 Nam si fers lepidos satis lepores,  
 8 Te teget ostrina protinus ille toga ;  
 9 si non grata canis, tegi sub auro  
 10 non video possis qua ratione liber.